



CLASSIQUES
GARNIER

« *De calumnia liber* », *Sébastien Castellion : des Écritures à l'écriture*, p. 489-527

DOI : [10.15122/isbn.978-2-8124-0925-7.p.0489](https://doi.org/10.15122/isbn.978-2-8124-0925-7.p.0489)

La diffusion ou la divulgation de ce document et de son contenu via Internet ou tout autre moyen de communication ne sont pas autorisées hormis dans un cadre privé.

© 2013. Classiques Garnier, Paris.
Reproduction et traduction, même partielles, interdites.
Tous droits réservés pour tous les pays.

DE CALUMNIA LIBER¹

Le *De Calumnia liber*, achevé en mois d'avril 1557 comme l'indique une annotation dans la dernière page du texte, ne fut publié pour la première fois qu'en 1578 sans nom d'éditeur ni d'imprimeur, dans un recueil posthume des œuvres castellioniennes, intitulé *Dialogi IIII [...] Eiusdem opuscula quedam dignissima quorum inscriptiones vera pagella ostendet. Omnia nunc primum in lucem data*. Ce recueil a connu ensuite deux éditions, l'une en 1613 à Gouda, l'autre en 1696 à Francfort.

À ne pas confondre avec la *Defensio ad authorem libri, cui titulus est Calumniae Nebulonis* (1558), qui le précède dans la même édition des *Dialogi IIII*, le *De Calumnia liber* entre dans le corpus des écrits polémiques dans lesquels, après la condamnation de Servet, Castellion s'oppose à l'orthodoxie genevoise et spécifiquement à Calvin et Bèze. Le *De Calumnia* présente en effet une reprise et un approfondissement de l'argumentation contre la persécution des hérétiques déjà exposé dans le *De hæreticis an sint persequendi* (1554) et le *De hæreticis non puniendis* (1555). C'est en particulier de cette dernière œuvre que le *De Calumnia* reprend le thème de la calomnie comme art rhétorique de dissimulation de la vérité divine afin d'éloigner les simples du clair enseignement évangélique et de persécuter les vrais fidèles en les accusant d'hérésie. (S. S.)

1 La présente édition du *De Calumnia liber*, réalisée par Stefania Salvadori, est établie selon la première édition (1578). La graphie, l'usage adopté pour les capitales et la ponctuation n'ont subi aucune modification par rapport au texte original. En revanche, les nombreuses abréviations ont été résolues et les signes diacritiques ont été modernisés. Le numéro de page est indiqué entre crochets dans le cours du texte en suivant l'édition de 1578, où le *De Calumnia* occupe les pages 58 à 135, vu que la numération des pages recommence de nouveau, après le *Dialogi IIII*, avec la *Defensio* qui précède le *De Calumnia*. Les *marginalia* sont indiquées dans les notes, où sont aussi bien signalées les variantes de l'édition de 1613.

[58] SEBASTIANI CASTELLIONIS DE CALUMNIA LIBER

Præfatio

Cupio prodesse hominibus, et ut prodesse possim, cupio ea quæ hominibus nocent, si tollere nequeo, saltem pro virili detegere, ut excitati tandem (si fieri possit) homines ex veterno suo, quo omnes fere oppressi iacent, quid agant, et in quanto animarum suarum periculo versentur, videant : atque ita malum fugientes, concedant in partes boni, et salutariter admoniti serventur. Est autem inter tot mala, quæ nocent hominibus illud vel maximum, quod a Græcis διαβολι¹ (unde Diabolo nomen factum est) a nobis Calumnia nuncupatur. Hæc cum semper ab orbe condito, tum nunc maxime (ut et cætera omnia scelera) tantas vires habet et authoritatem, ut si quis eam reginam mundi appellet, is à vero eius nomine non aberret. Quod si rite detecta, et oculis hominum palam exposita fuerit, spero fore, ut multi (nisi scientes volentesque perire vo- [59] lent) malum hoc detestentur. Neque vero eum ego me esse profiteor, qui tartareum hoc monstrum pro dignitate detegere valeam : neque rursus me præterit, scripsisse etiam alios ante me de eodem, sed quoniam tam vivax malum non nisi multis telis confici potest, et expedit omnium communem hostem, omnium communibus viribus oppugnari, iaciam ipse quoque tela mea, et monstrum hoc si non vulnerabo, certe (quod proximum est) vulnerare summa ope contendam. Et quia malum hoc tam longe lateque et alte radices egit, non alienum erit, eius originem atque radices alte, late, longe rimari : id quod nos cum hoc malo multum diuque rixati atque conflictati, faciemus si volet Deus author omnis boni, et summus hostis cum omnium, tum huius maxime mali : quem deum² supplex summissumque precor, ut mihi adsit propter filium suum Iesum, ad laudem sui nominis æternam, et hominum salutem.

Quomodo Diabolus deum³ æmuletur. – Caput I

Principio hoc fieri convenit. Est Diabolus Dei æmulus, vultque ipse quoque suum opus creare, et sibi regnum in perpetuum vindicare, hoc

1 διαβολι *Editio 1613* : Diabole.

2 deus *Editio 1613* : Deus

3 deum *Editio 1613* : Deum

est, dei¹ regnum in perpetuum funditus abolere. quod ut facere possit, adhibet ipse quoque ad huiusmodi [60] creationem (quæ nihil aliud est quam operis dei² destructio, et ut ita loquar, decreatio) primogenitum filium suum, hoc est sermonem mendacii atque calumniæ, et huius sermonis opera facit quicquid facit, idque ea calliditate atque arte, ut non decreator, (quod re ipsa est) sed creator, et quidem boni creator, atque adeo Deus ipse haberi velit, quod ut consequi possit, sermonem suum in formam sermonis dei³ transfiguratur, Deique sermone vel summoto, vel denigrato, et spiritu falsitatis deformato, sese pro deo⁴ venditat, sibique filios gignit, ut depulso de sede Deo, ipse regnet in sempiternum. Igitur quo facilius eius artes perspicere valeamus, quoniam comparatione omnia clarescunt, primum Dei operis rationem, progressiones, finem atque perfectionem paucis aperiemus : deinde Diaboli æmulationem cum illa comparantes enucleabimus : et volente Deo sic explicabimus, ut si qui volent, ii malum evitare, bonumque eligere sciant. Præbe te attentum et benevolum lector : cognosces spirituales malicias latentes in corde hominis, cum quibus confligendum ei est, qui per Christum salvus esse velit. [61]

Omnia a rudimentis tendunt ad perfectionem. – Cap. II

Natura comparatum est, ut omnia a paucis primordiis et rudimentis ducto initio, per incrementa tendant, perveniantque ad perfectionem, nisi in suo cursu interpellata impeditaque fuerint. Hac ratione atque ordine creavit Deus sermone suo opera sua, ducto a terra rudi et incondita initio ; progressus deinde per alias atque alias semper superioribus perfectiores res, donec tandem hominem universi operis sui caput opusque perfectissimum, ideoque ultimum, creavit, atque ita demum quievit. Ac quod in universo et primordiali opere fecit, indem facit adhuc in eiusdem operis singulis partibus propagandis. Nam et stirpes et animalia à parvis seminis initiis paulatim ad perfectionem perveniunt, natura non prius conquiescente. Iam quam rationem tenuit in condendo hoc mundo visibili eandem postea tenuit tenetque adhuc in condendo mundo invisibili, hoc est in instaurando recreandoque homine, qui peccato perditus erat. Primum enim om- [62] nipotenti sermone suo (omnia enim

1 dei *Editio 1613* : Dei

2 dei *Editio 1613* : Dei

3 dei *Editio 1613* : Dei

4 deo *Editio 1613* : Deo

sermone operatur Deus) homini rudia præcepta tradidit : deinde alia atque alia successu temporis adiecit ad perfectionem tendentia, donec tandem post natum filium suum, omnibus rite præparatis, suum perfectionis spiritum misit, qui duceret homines ad omnem perfectionem. Sed quemadmodum et patris et filii opera, sua initia et incrementa habuerunt, ita factum est fitque adhuc in opere spiritus. Neque enim natura patiebatur ut eius opus tempore perficeretur. Itaque principio impertivit suis dona linguarum, et miraculorum, et vaticiniorum, quæ essent rudimenta futuri operis perfecti, hoc est, æterni perfectique amoris Dei, qui amor ubi venerit, omnia illa rudimenta cessabunt, nec ipse spiritus in operis sui progressionibus ante conquiescet, quam perfecto corpore ecclesiæ omnes eius alumni ad unitatem fidei, ad adultam ætatem veritatis pervenerint. Tunc Deus, perfecto omni opere suo, feriatbitur. Hæc est operum dei¹ ratio, progressio, atque absolutio. [63]

Diaboli operis ratio. – Cap. III

Iam dei² hostis ille æmulusque perpetuus Diabolus, quo ipse pro deo³ habeatur, vult ipse quoque opus suum facere. Et quia facere nihil potest (est enim id Dei proprium) saltem infectum reddere quod factum est conatur. Atque hoc est eius quod vocamus opus (quanquam reipsa opus non est, sed operis Dei destructio, et ut ita loquar, creationis decreatio : sed nos docendi gratia ita loquimur, ut illam operis destructionem, opus appellemus) est inquam hoc eius opus, Dei opus abolere, idque facit sermone mendacii, quemadmodum contra Deus opus suum facit sermone veritatis, ac quæ sint eius primordia et operis rudimenta videamus.

Principio foeminam sic aggreditur : Cur interdixit vobis Deus ne vesceremini de omnibus arboribus pomarii ? Vult hac curiosa interrogatione quasi serpendo in illius animum, in dubium vocare verba Dei, quibus homini esum interdixerat. Itaque cum respondisset foemina, *cæterarum quidem arborum esum permissum : tantum unius arboris scientiæ esum interdictum, alioquin morituros [64] si comederent*, subiicit ille : *Non ideo moriemini*⁴. Attende lector : hæc est origo mali : hic est sermo ille mendacii, quo Deum calumniatur Diabolus, cuiusque opera illius opus,

1 dei *Editio 1613* : Dei

2 dei *Editio 1613* : Dei

3 deo *Editio 1613* : Deo

4 Gn 2, 16-17

videlicet hominem, hoc est hominis iusticiam¹ et veritatem, quoad eius fieri potest, destruit, suumque opus, videlicet mendacium, in illius locum insinuat atque sufficit. Hæc est illa, in quam hic invehi volumus, malorum mater gubernatrixque Calumnia, quæ ab illo primordiali mendacio suum tenebrarum opus aggressa, id deinceps per omnes ætates persecuta est et persequitur : neque persequi desinet prius, quam id ad perfectionem perduxerit, hoc est, quam iniusticiam² omnibus numeris absolutam in suorum cordibus generaverit. Ea igitur sic opus suum aggreditur, ut apertum simplexque Dei verbum aperte neget. Dixerat enim Deus aperte : *Si comederitis moriemini*. Dicit aperte serpens : *Non moriemini*, quasi hoc dicat, Deus mentitus est, et ego verum dico. Sed ut mendacium suum coloret, proque veritate venditare possit, et probabile faciat (neque enim credibile videbatur Deum mentitum) addit explicationem, causamque reddi³ [65] probabile⁴ ? *Scit Deus* (inquit) *si de arboris istius fructu comederitis, apertum iri oculos vestros, atque ita vos fore quasi deos⁵, boni malique scientes⁶*. Hic vides, eum non verbis dicere, mentitus est deus⁷ (non enim persuasisset) sed re ipsa dicens mentitum deum⁸, verbis quidem ita versutis utitur, ut neque deus⁹ mentitus, et ipse quamvis Deo contraria dicens, tamen verum dicere videatur. ut sit hæc eius verborum sententia : Quod Deus causam istam interdictæ arboris vobis dixit, videlicet *ne moriamini*, simulavit. non enim ista causa fuit, sed aliam causam ipse in animo habuit quam vos cælavit. Ea est hæc : Scit vos fore tanquam Deos si comederitis. quod si id vobis dixisset, videbat futurum, ut divinitatis cupiditate ducti comederetis, et cum vos fieri deorum¹⁰ similes nollet, veram causam vos celavit, falsum prætexuit. Vides, lector, artem institutumque Diaboli, videlicet mentiri, et ita mentiri, ut verum dicere videri velit. [66]

Diaboli institutum est occidere pios. – Cap. IIII

Iam quemadmodum Dei in mundi creatione consilium fuit creare equidem omnia, sed maxime hominem : itaque eo tanquam universi capite

1 iusticiam *Editio 1613* : iustitiam

2 iniusticiam *Editio 1613* : iniustitiam

3 reddi *Editio 1613* : reddit

4 Probabile ? *Editio 1613* : probabilem.

5 deos *Editio 1613* : Deos

6 Gn 3, 4-5.

7 deus *Editio 1613* : Deus

8 deum *Editio 1613* : Deum

9 deus *Editio 1613* : Deus

10 deorum *Editio 1613* : Deorum

creato conquevit : ita Diaboli institutum est, perdere equidem omnia, hoc est omnes homines sed maxime homines, hoc est pios (nam hi soli sunt vere homines, cæteri quidem (ut in sacris literis passim nominantur) lupi sunt et leones, et huiusmodi impuræ bestiae) itaque eo, tanquam omnium capite perduto (si quidem eum perdere potuerit) conquiescat. Oppresso enim capite, actum est de membris : et qui homini omnium reliquarum creaturarum imperatori imperat, si reliquis omnibus facile dominatur. Hoc igitur nobis certum exploratumque esto, omnes Diaboli conatus eo maxime tendere atque spectare, ut homines maxime pios mentiendo et calumniando perdat. atque hoc facit duobus modis. Primum enim hominem ipsum in seipso mendacem calumnatioremque reddit, seque in eum sic insinuat, et cum ipso sic coalescit, ut sit unum idemque cum eo : deinde [67] in eo et per eum hominem alios aut reddit, si potest, ipsos quoque mendaces (videlicet ut gignat sui similes. nam hoc omnibus innatum est, ut sui similia procreare cupiant) aut si id non potest, illud saltem dat operam, ut eos quibuscumque possit mentiendi calumniandique modis occidat. Atque inde Diabolus, ut in initio diximus, græca voce appellatur, hoc est, calumniator, ut intelligas, nihil magis proprium esse Diaboli, quam calumniari. Ac de primo quidem illo modo, quo hominem intus in ipso corrumpit, eiusque animam peccato necat, quemadmodum fecit Adamo, in præsentia copiosius disserere non institui. De secundo modo loquar, quo homines pios impiorum opera atque ministerio persequitur atque necat. De hoc inquam Diabolo verba faciam, qui in filiorum suorum cordibus habitans, pios omnes a Caini tempore ad nostram usque ætatem quibuscumque potuit artibus infestare nunquam destitit. Cumque hoc faciat duobus modis : aut enim impii pios, ipsi sua manu, absque omni calumnia aut æquitatis specie persequuntur : aut calumniis et æquitatis specie opprimendo curant a potentioribus necandos. de¹ priore non multa verba faciam. Cum [68] sit enim illa aperta vis, in ea detegenda non est laborandum. Quis enim non videt Cainum iniustum esse, qui fratrem suum Abelem, hominem iustum, nulla re ab eo læsus occiderit² ? In posterioribus detegendis magis elaborandum est, qui se æquitatis specie tegunt, et potentiorum animos arte sophistica, hoc est calumniis, ita præstringunt, ut eos efficiant carnifices suos in necandis innocentibus. impelluntur³ equidem utrique ab eadem causa ad homicidium, videlicet quod Abelis (hoc est iustorum) opera iusta sunt : Caini, iniusta. Hoc ferre non potest

1 de *Editio 1613* : De

2 Gn 4, 1-12.

3 impelluntur *Editio 1613* : Impelluntur

habitans in Caino Diabolus, non magis quam noctua lucem diei. Sed habent posteriores aliquam speciem : priores illi, tanquam aperti latrones, facile cognoscuntur. Ac mirum videri possit, cur unquam aperte piis vim intulerit Diabolus, cum sub æquitatis pallio multo speciosius et honestius possit homines occidere, non modo sine sua infamia, sed etiam cum honore, cuius est avidissimus. An calumniandi artem nondum noverat ? Imo vero ipse est calumniæ pater antiquissimus, eiusque tanquam primogenitæ, vel potius unigenitæ filiæ suæ opera, Deum a- [69] pud Evam arguerat mendacii. Quid igitur ? an in ea arte postea profecit, ut præstare iam possit quod ante non potuerit ? Equidem eum profecisse, et multum profecisse, longèque astutiorum factum esse fateor : sed tamen illud quoque fatendum est, iam ab initio tantum arte valuisse, quantum ad opprimendos pios satis esset. Alioquin qui fieri potuisset, ut apud Evam Deum ipsum probabiliter calumniaretur ? Quænam igitur causa est ut principio aperta vi, postea calumiis iustos opprimeret et adhuc opprimat ? Attende lector. nam ut hoc cognoscatur, permultum refert ad præsens institutum.

Cur impii pios hodie calumiis potius, quam aperta vi opprimant – Cap. V.

Qui aperta violentia pios occidunt, ii et male audiunt etiam apud impios, et magno in periculo versantur. Est enim tyrannis illa omnibus invisâ, et quem multi timent, is multos timere cogitur. Hinc vox illa Caini¹, *Qui me primus [70] invenerit, occidat*². Contra, qui æquitatis specie falsisque criminationibus insontes opprimunt, ii et tanquam iustitiæ severi satellites collaudantur, et reliquorum hominum præsidio stipati, in summa securitate, vel potius in imperio degunt. Iam cum sit Diabolus (Diabolum cum nomino, impios intelligi volo : quoniam is in eis sic habitat, ut unum idemque sint : itaque sic deinceps mea verba accipio) cum sit inquam Diabolus et laudis et imperii cupidissimus, calumniis, quam aperta vi rem agere mavult. Verum ut calumniis aliquis opprimatur, oportet aliquem esse potentatum, apud quem auctoritatem locumque habeant calumniæ. Atqui ante diluvium nullus erat legitimus potentatus : itaque omnibus confusis, potentissimus quisque infirmissimum violenter, nulla æqui specie opprimebat. et Cainus cum nullum haberet, quem posset calumniis adversus fratrem corrumpere, ipse sua manu sanguinem fratris hausit. At post diluvium, cum iam reges essent, cœperunt magis vigere

1 Gn 4, 14

2 occidat *Editio 1613* : occidet

calumniæ : itaque primus Israelitarum rex Saulus et calumniis maxime aurem præbuit, et calumniatores plurimos ac teterrimos habuit, qui Davidem tanquam res novas appetentem [71] opprimendique Sauli cupidum, criminarentur. Hinc effectum est, ut ipse suis armis, calumniatorum quidam quasi minister et carnifex, Davidem persequeretur, et Nobanos¹ sacerdotes crudelissime et iniustissime trucidaverit. Est igitur honoris et tuto vivendi cupiditas in causa, ut impii calumniis potius, quam aperta vi grassentur. Quod si quando calumniis aurem non præbent potentiores, et odium tam impotens est ut cohiberi nequeat, tum vero et periculi et infamiæ immemores Cainum imitantur², et ipsi sua manu pios occidere non dubitant. Sic coniurarunt adversus Paulum Iudæi, seque devoverunt, si prius cibum sumpsissent, quam illum occidissent.

Calumniarum genera tria – Caput VI.

Habent autem (quantum equidem nunc recordari possum) genera tria calumniarum. Primum est nudum falsum testimonium, cum aliquid fingunt et testantur, aut alios ad testandum subornant, quod factum non est : cuiusmodi fuit illud quo Nabothum occidit Iezabela falso accusatum maledicti in regem : aut quo Susannam opprimere conati sunt illi vetuli, eam criminis accusantes, quod ipsimet patrare voluerant. Sed huic quidem generi facilius [72] occurri potest, si (quod fecit Daniel) diligenter et prudenter examinentur testes.

Alterum calumniandi genus est calumniatoribus longe tutius, cum in facto non mentiuntur, sed in facti interpretatione, hoc est, cum de reo testantur idipsum quod fecit aut dixit : sed id criminantur quod crimen non est. Tale fuit illud quo accusatus fuit a sacerdotibus, Ieremias, quod dixisset, futurum esse ut ædes Iovæ similis Silunti essent³, urbsque ab habitatoribus desereretur. Dixerat id quidem Ieremias, sed crimen non erat. Verum enim, idque dei⁴ iussu dixerat.

Tertium genus varium et multiplex est, cum facto aut dicto alterius aliquid addunt aut detrahunt, aut id detorquent et invertunt. Sed et de hac et de aliis multis fraudibus, copiosius (volente deo⁵) mox agemus, ubi de tempore nostro (cuius causa hic liber scribitur) differemus. [73]

1 Nobanos *Editio 1613* : Nebanos

2 imitantur *Editio 1613* : imitantur

3 essent *Editio 1613* : esset

4 dei *Editio 1613* : Dei

5 deo *Editio 1613* : Deo

Quibusnam causis impelli soleant homines ad peccandum – Cap. VII.

In præsentia consideremus in universum, quibusnam causis homines tum ad alia scelera, tum ad hanc, de qua loquimur, calumniam, impelli soleant ; quo perspectis hisce causis, nostrum tempus tandem perspiciamus : et si causas easdem manere videbimus, cauti reddamur. Scribit Divus Iohannes in prima epistola, *Quicquid est in mundo, id esse aut cupiditatem carnis, aut cupiditatem oculorum, aut superbiam vitæ*¹. quibus verbis innuere voluit, voluptatum studium, avaritiam, et ambitionem. Sunt igitur hi tres quasi mundi dii², voluptas divitiæ, honor, quos colant, quibusque omnia vitæ suæ studia, atque adeo semetipsos immolent homines. Quia si quis eos diis³ illis privare aut in illorum motu impedire conatur, hunc tanto odio persequuntur, quanto amore erga deos⁴ illos præditi sunt, eumque omnibus modis periisse cupiunt.

Examinet seipsum unusquisque diligenter, qui sibi nondum renuncia-verit, num [74] alienis⁵ illorum deorum⁶ cultor sit ; hoc est, num sit voluptatum, aut pecuniæ, aut honoris, aut horum trium, aut duorum amans nemo certe immunem se ab hac idololatria inveniet. Si mihi liceret unumquemque examinare, eiusque facta, dicta, cogitationes rimari, atque perscrutari, facile perficerem, ut unusquisque suæ ipsius conscientiæ testimonio convictus, in animo suo exclamaret : Certe talis ego sum. Consideret deinde non iam dicam quivis, sed aliquis qui se religiosum esse putet : atque ut nominatim unumquemque quoad eius fieri potest alloquar, tu Iohannes, tu Camille, tu Alfonse, tu Friderice, tu quisquis es, cuiuscunque vel nationis, vel ordinis es, puta me tecum colloqui : responde, mihi : si quis te voluptate, aut lucro, aut honore afficit, nonne gaudes ? aut quantopere gaudes ? Rursum si quis te iisdem privat, aut privare conatur, nonne dolore afficeris tanto, quantum illa amas ? nonne continuo adest odium et vindictæ cupiditas, cui resistere ipsi pii ægre possunt : quid facient impii ? Nonne laxis habenis in eius pernicem ruent, qui illorum trium deorum⁷ aliquem, ne dicam omnes, oppugnabit ? Exemplis quid opus [75] est ? cum innumera sint in promptu ? Tamen quia adeo durus est mundus, ut non nisi acerrime

1 1 Jn 2, 16

2 dii *Editio 1613* : Dii

3 diis *Editio 1613* : Diis

4 deos *Editio 1613* : Deos

5 alienis *Editio 1613* : alienorum

6 deorum *Editio 1613* : Deorum

7 deorum *Editio 1613* : Deorum

stimulatus sentiat, aut etiam acerrime stimulatus vix sentiat, unum pro omnibus adducemus, in quo comprehenduntur omnia.

Quibus de causis Christum occiderint Iudæi. – Cap. VIII

Dicit Christus : *Ego vici mundum*¹. Item : *Princeps huius mundi eiicitur foras*². Quid vero est mundus ? aut quid princeps huius mundi ? Quid nisi luxuria, avaritia, ambitio ? omne denique peccatum, ad quod tollendum et foras eiiciendum venit Christus. Est enim agnus dei³ qui tollit peccatum mundi⁴. Cum igitur principem illum huius mundi tam acriter et serio Christus oppugnaret, quis dubitabit, quin eadem, quas supra commemoravimus, causæ, Iudæos illius principis cultores maximos incitarint ad illum occidendum ? Videre licet hoc in historia. Sic enim loquuntur Pontifices et Pharisæi : *Quid agimus ? Hic homo facit multa miracula. si eum sic sinimus, credent omnes in eum ita fiet ut veniant Romani qui nos et regione et gente privent*⁵ : En hic loquitur ambitio : si enim [76] crediderint omnes in Christum, frigebit honos illorum : loquitur & avaritia, privabuntur enim redditibus⁶, si privati terra et gente fuerint. Loquitur et voluptas, quæ sine pecunia et imperio comparari non potest. Adde quod Christus eorum avaritiam, luxuriam, et ambitionem arguebat, dum toties Væ illud inclamat adversus eos, qui devorarent domos viduarum, et primas in conviviis accubationes, et in foro salutationes, et magistrorum nostrorum titulos amarent, et hominum gloriam, non dei, averent. et maxime ubi sic cognatos suos, qui in eum non credebant, alloquitur. *Mundus non potest odisse vos, ad me odit, quia testor eius opera esse mala*⁷. Hæ causæ commoverunt Iudæorum adversus eum invidiam, cuius instinctu eum deinde ad Pilatum calumniati sunt, ac cuiusmodi fuerint eæ calumniæ, operæprecium est videre. ut in hoc exemplo cernatur, deinde in universum quæ sit natura calumniatorum. Cum esset enim Christus is, qui Diabolum non infestare, aut vulnerare tantum, sed totum foras eiicere, et funditus et in perpetuum regno spoliare vellet, non mirum est, si tanquam pro [77] aris et focus pugnans Diabolum, omnia calumniarum tela adversus eum intendit.

1 Jn 16, 33

2 Jn 12, 31

3 dei *Editio* 1613 : Dei

4 Jn 1, 29

5 Jn 11, 47-48

6 redditibus *Editio* 1613 : redivibus

7 Jn 7, 7

Quibus calumniis Christum apud Pilatum oneraverint Iudæi. – Cap. IX

Igitur quæ natura calumniatorum est veras causas, cur eum criminentur, non dicunt. Non enim fuisset speciosa accusatio, si ita dixissent : Nos hominem hunc capitis accusamus, quia is luxui, avaritiæ, ambitionis¹ nostræ advesatur : sed omissis veris causis, primum iudicis oculos autoritatis suæ splendore præstringere conantur. *Nisi esset maleficus*, inquit, *nunquam eum tibi tradidissemus*². Scilicet ita iusti erant, ut hoc solo nomine esset morti addicendus Christus, quia ab illis accusaretur. Deinde, cum autoritate sua iudicem movere non possent, tandem crimina producunt : *Hunc invenimus pervertentem gentem*³. At hoc falsum erat, non enim pervertebat, sed convertebat atque corrigebat : ipsi vero pervertebant. *Et prohibentem tributum dari Cæsari* [78] *sari*. Ne hoc quidem verum erat. Iusserat enim solvi Cæsari quæ essent Cæsaris⁴. ne quid interim dicam, quod illi nihil magis cupiebant, quam liberari servitute Cæsariana. *Et se Christum regem esse dicentem*⁵. Hoc quidem verum erat, sed crimen non erat. *At quisquis se regem facit, adversatur Cæsari*⁶. O mancipia, et digni qui Cæsari serviatis in perpetuum. *Seditionem excitat in populo doctrina sua*. Imo vos ipsi seditionem excitatis, insontem accusando, et populum adversus eum subornando. O omnium seditiosissimi. Ille quidem populum commovet, sed ad iustitiam commovet, non ad seditionem. *Nos legem habemus, secundum quam legem debet mori, quia filium Dei se fecit*⁷. Primum ubi est illa lex ? Nam in universis Bibliis nullam talem legem reperimus : sed vos Pilatum, hominem legum vestrarum imperitum, vultis ita fallere. Deinde legis mentionem facere cur audetis, homines exleges, qui hominem nullo testimonio convictum, ad necem principio statim deposcitis, quia nisi esset maleficus, nunquam eum tibi tradidissemus ? Quasi vero non vetet lex vestra, ne quis damnetur nisi duorum saltem testimonio [79] convictus, et postea legem nominare non vos pudet⁸ ? Quid quod non modo legem nullam talem habetis, sed etiam contrariam plane habetis ? Nonne enim Mosem Deus ad Pharaonem cum hoc mandato mittit, ut dicat, primogenitum Dei esse Israel⁹ ? Quod si non solum filius, sed etiam primogenitus

1 ambitionis *Editio 1613* : ambitioni

2 Jn 18, 30

3 Lc 23, 2

4 Mt 22, 21 ; Mc 12, 17 ; Lc 20, 25

5 Lc 23, 2

6 Jn 19, 12

7 Jn 19, 7

8 Jn 8, 17

9 Ex 4, 22

filii dei¹ est Israel, cur Christo (qui certe erat Israelita) crimini datis, quod se filium dei² esse dicat? Quid quod vosipsi idem fecistis? Nonne enim ei dixistis, *Nos unum patrem habemus Deum*³? Quod si vos homicidia, tamen Deum patrem iactatis, cur eum reprehenditis, qui vitæ dator (multis enim vestrum in vitam revocavit) filium Dei se perhibet?

Hæc sunt illa producta ad Pilatum crimina, præter illud eiusdem generis, quo eum gravaverant apud Pontificem, quod se dixisset, posse templum Dei destruere, et triduo instaurare⁴, quod quidem falsæ interpretationis erat. Nam nec iisdem verbis, nec eadem mente dixerat. Hæ fuerunt Iudæorum calumniæ, ad quas nunquam confugissent, si ullum crimen verum habuissent. [80]

Quo Iudæos perpulerit odium Christi. – Cap. X.

Iam vero opere præcium est cognoscere, quonam eos perpulerit insanus ille livor et inexpiabile odium Christi. Barrabam iubent dimitti, quo Christus in crucem tollatur, digni sane in quos multi grassentur Barrabæ. Itaque postea ad hoc usque ævum semper obnoxii fuerunt Barrabæ, hoc est latronibus, et sanguinariis hominibus. Quid quod negant se alium habere regem, quam Cæsarem? qui tamen Christo obiecerunt, se nemini unquam servivisse, cum tamen et iam tum Romanis servirent, et hic Cæsarem unum regem agnoscant⁵. Ergo iusta dei⁶ vindicta factum est, ut postea ad hanc usque horam Cæsarianæ potestati ubique terrarum perpetuo serviverint. Atque cum hoc congruit illud: *Nobis non licet interficere quenquam*⁷. tradiderant enim potestatem suam bestia⁸. O quis habebit tantum prudentiæ, ut hæc intelligat, et bestiam hanc, eiusque membra omnia, et posteros, et successores, et cultores, et defensores huc usque perspiciat, [81] et oculos longius intendat quam extenditur digitus indicantis? O cæce et tuæ salutis hostis Munde, qui tibi eos indicari non pateris, qui te perdunt, qui eos præsidio tuo stipas qui te devorant, et servatores tuos eis occidendos tradis. Væ, væ, væ tibi, qui odio Christi Cæsarem unum regem agnoscas. Erit, erit tibi rex Cæsar, et quem ultro regem postulas, eundem depellere postea frustra voles.

1 dei *Editio 1613* : Dei

2 dei *Editio 1613* : Dei

3 Jn 8, 41

4 Mc 26, 61 ; Mc. 14, 58, Jn. 2, 19

5 Jn 19, 15

6 dei *Editio 1613* : Dei

7 Jn 18, 31

8 Ap 13

Transitus ad nostrum seculum, quod quidem sit omnium sceleratissimum. – Cap. XI

Iam quæ Christo capiti acciderunt, eadem eius membris et hactenus accidisse videmus, et deinceps usuventura credere debemus, quamdiu durabit hic mundi status. Sic enim prædictum est ab ipso. *Non est discipulus supra magistrum. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si meam orationem servarunt, et vestram servabunt*¹. Et sane eadem causæ manent utrobique. Quamdiu enim homines erunt avari, luxuriosi, ambitiosi, tandiu eos oderint et infestabunt qui iis vitiis [82] adversabuntur. quod certe facient omnes imitatores Christi. Itaque abesse non potest, quin quod dixit Paulus, omnes qui in Christo Iesu pie vivere volent, persecutionem patiantur². fore autem ultima huius seculi tempora, et ratio docet, et oracula, et experientia. Ratio est ea quam supra demonstravimus, quod omnia a parvis initiis ducta origine, crescent ad perfectionem. in quo genere est et iniustitia. Oracula sunt et alia multa, et hæc in primis. Prædicat Angelus Esdræ, futurum ut iniustitia sit maior ea, quam tum videbat Esdras, aut quam iam olim audiverat³. Prædicat et Christus fore, ut ultimis temporibus frigeat charitas, et abundant scelera⁴, utque cum veniet filius hominis, non inveniatur fides in terra⁵. Quid Paulus? *Illud scito*, inquit, *extremo difficilia fore tempora, erunt enim homines sui amantes, avari, arrogantes, superbi, maledici, in parentes contumaces, ingrati, irreligiosi, inhumani, fœdigræfi, calumniatores, intemperantes, immites, virtutis inimici, proditores, temerarii, inflati, cæci, et voluptatis magis quam dei*⁶ *amantes, pietatis speciem habentes, sed qui eius vim abnegaverint*⁷. De experientia quid multa dicam? testor vos, o homines sexagenarii aut septuagenarii, ubi ubi degitis, an non sit [83] vestra ætate tanta in deterius facta hominum mutatio, quantam vis credi potest? Ebriositas, perfidia, mendacitas, avaritia, luxus, emacitas, impudentia, vitæ licentia, audacia, contemptus dei⁸, blasphemiæ, omnia denique flagitia ita brevi tempore creverunt, ut quæ ante quadraginta annos in barbatis viris monstruosa et intolerabilia habebantur, ea hodie pueris sint quotidiana, ut interim taceam

1 Jn 15, 20

2 2 Tm 3, 12

3 4 Esd 5,2

4 Mt 24, 6 s.

5 Lc 18,8.

6 dei *Editio 1613* : Dei

7 2 Tm 3, 2-5

8 dei *Editio 1613* : Dei

de puellis, quarum est hodie ea inverecundia, ne dicam impudentia, ut possint ipsos etiam viros (nisi sint ipsi quoque admodum impudentes) pudefacere. neque vero ad hæc demonstranda mihi longe conquirendi sunt testes. Sunt hæc ita palam nota, ut si quis neget, hoc ipso sit ipsemet mihi huiusce rei testis satis locuples, quod ea negare audeat, quæ negare non nisi summæ est impudentiæ. Neque quisquam hic obiiciat, hæc eadem vitia etiam olim viguisse, quemadmodum habetur in historiis. Sciebat hoc Paulus, qui continuo post illa quæ modo allegavimus verba, ita scribat : *Hos tu aversare. Ex his autem sunt qui in domos sese insinuant, captivasque reddunt mulierculas* etc.¹ Videbat videlicet iam tum tales esse homines : sed prævidebat fore tamen deteriores. Est enim iniustitia quasi arbor [84] quædam prægrandis, quam videntes dicunt esse maximam : eadem tamen vivi adhuc totos sæpe centum annos, continenter crescens, sed homines quo maius non viderunt, id fere putant maximum. Sic erat illo etiam tempore iniustitia, sane permagna, sed futura maior. Fateor equidem fuisse certos vel populos, vel homines, quorum iniustitia videtur ad summum pervenisse, cuiusmodi commemorantur Sodomitæ, Nerones, Heliogabali, Caracallæ², et huius generis monstra, sed hodie invaluit serpsitque malum ut gangrena, et omnia totius mundi membra occupavit, ut iam a vertice ad talos nihil sani sit in toto corpore.

Quam graviter peccetur in non observandis temporum ætatibus. —
Cap. XII

Est autem prudentior³ suum quemque tempus observare, stultitiæ non observare. Doceant nos vel agricolæ, qui quando sulcanda tellus, quando iteranda, quando serendum sit aut metendum diligenter observant : vel Nautæ, qui ven- [85] torum tempora et tempestates solícite animadvertunt, ne occasiones prætermittant. Ipsæ denique bestiæ nobis documento sunt, ciconiæ, hirundines, grues, apes, formicæ norunt sua tempora, et eorum occasionem arripiendo evitant futura mala. At si qui se Dei populum, solumque sapientem vult haberi, solus ita desipit, itaque stultus est, ut semper præteritum tempus hians observet,

1 2 Tm 3, 5-6

2 Néron (37-68), fut empereur romain de 54 à 68 ; Héliogabale (203-222), connu sous le nom de Marcus Aurelius Antoninus, de 218 à 222. Caracalla (188-217), régna lui aussi à Rome de 211 à 217 sous le nom de Marcus Aurelius Severus Antoninus Augustus.

3 prudentior *Editio 1613* : prudentiæ

et ab eo pendeat, cum iam serum est : præsentis vero vel futuri (in quorum occasione sita salus est) prorsus immemor esse videatur. Israelitæ Abrahamum iam præteritum in summo precio habuerunt : Mosem præsentem sæpe lapidare voluerunt eundem postea vita defunctum graviter defleverunt. Idem postea Esaiam, Ieremiam, cæterosque vates vivos vel contempserunt, vel etiam occiderunt : eosdem mortuos postea coluerunt. Idem Christum tandem ab illis (quos a maioribus suis occisos ipsi colebant, eorumque sepulchra ornabant¹) prænunciatum, occiderunt, idemque eius post eum apostolis et discipulis fecerunt. Quinam vero illis successerunt ? nos videlicet, qui illis ex Abraham² caudice desertis, in eum insiti [86] fuimus. Caveamus igitur ne illorum non tam iusticiæ, quam stultitiæ, vel potius amentitiæ, successores simus et hæredes. Cum adversus illos verba fiunt, cum illorum in Christum et apostolos³ iniustitia et calumniæ verbis aut scriptis agitantur et taxantur, gaudemus, et huiusmodi invectivis valde favemus, illosque detestamur, qui iustos occiderint, neque tempus suum observaverint, illorumque tam diutina calamitate, quam post et ob Christum preëmptum patiuntur, lætamur, et eis merito accidere dicimus. Itaque Christum et apostolos⁴, cæterosque martyres, veneramus, et eis templa construimus : quod quid est aliud quam cum Iudæis dicere : Si fuissetis tempore maiorum nostrorum, non fuissetis eorum socii in iustorum sanguine hauriendo ? Ita fit (quod iam diximus) ut homines a præterito tempore pendeant, præteritamque virtutem extollentes superiorum peccata vituperent : iidem præsentem virtutem insectantes, et odio habentes, præsentis vitia amplexerunt. Et quidem manifesta causa est : nam præterita virtus neminem mordet : sicut sol hesternus neminem urit. at præsens mordet, ideoque fugitur. Atque hic [87] accidit (et quæso te lector, rumina quod iam dicturus sum, diligenter) quod exprobrat Israelitas⁵ apud Ezechielem Deus. Ostendit illic vati circiter vigintiquinque homines qui dorsis cellæ templi Domini obversis solem adorabant versus ortum⁶. Erat hoc contra Dei institutum, qui templum ita construendum curaverat, ut ab ortu solis esset ingressus ad occasum, ut qui ibi Deum adorarent, ii ad occasum conversi adorarent. At illi supra Deum sapere volentes, orientem spectabant. hoc enim videtur humanæ prudentiæ rationique

1 Lc 11,48

2 Abraham *Editio 1613* : Abrahami

3 apostolos *Editio 1613* : Apostolos

4 apostolos *Editio 1613* : Apostolos

5 Israelitas *Editio 1613* : Israelitis

6 Ez 8, 16.

convenientius. Iam quod illi faciebant, idem facit vulgo cunctus populus nominis Christiani¹, tum secundum carnem, tum secundum spiritum. Nam et secundum carnem omnia Christianorum templa (nisi sicubi forte loci natura impedivit) spectant occidentem : et secundum spiritum (quoniam est omnium rerum carnalium cum spiritalibus mirabilis quædam, Deo ita dispensante, similitudo atque congruentia) spectant semper præteritam iusticiam², cum ad futuram converti nos et tendere oporteat. Est enim iustitia quasi quidam sol, quæ quo longius species fertur, eo fit maior, donec tandem in occasu, hoc est ultimis tem- [88] poribus (sicut a vatibus prædictum est) perficiatur. Igitur si Israelitas rogas, Mosis tempore quinam fuerint iusti, respondebunt, Abrahamum, Isaacum, Iacobum : Mosem quidem prætermittent, aut etiam lapidare volent. Et si porro eosdem Samuelis seculo roges, quinam fuerint iusti, respondebunt Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Mosem, Iovam, atque ita deinceps, donec venias ad Christi seculum : quo si Iudæos roges, quinam fuerint iusti, respondebunt illos fuisse quos diximus, et alios maiores suos : Christum quidem et eius apostolos tantum aberit ut in illorum numero ponant, ut eos etiam inter latrones crucifigant. Atque idem error est etiam in iniustitia : quoniam contrariorum eadem est ratio. Nam semper posteriores accusarunt priorum iniustitiam, et eandem tamen imitati sunt.

Quod cum ita in orientem spectent Christiani, more gentilium (nam gentilium templa in orientem erant conversa) et tamen in occasum ferantur omnia, non mirum est, si retro gradientes impingunt, ut cæci in meridie : neque enim tergo dedit eis natura oculos. [89]

Mundum esse cæcum. – Cap. XIII

Nunc vos interrogat, o principes, et magistratus, et populi, quicumque ubicumque estis, qui homines propter Christianam religionem occiditis, interrogat, inquam, vos veritas, utrum sitis Christiani ? Respondebitis, esse vos Christianos : neque enim alios hoc nomine occideretis, nisi vobis Christianorum nomen vendicaretis. Quæret porro veritas, an non sitis ambitiosi, avari, luxuriosi, et voluptatum amantes, sicuti fuerunt Iudæi qui Christum crucifixerunt ? Vos, credo, fatebimini vos esse tales. Nam si negabitis, sic examinabit unumquemque vestrum veritas. Tu

1 *Marginalia* : Christiani deum, orientem versus, præpostere adorant.

2 iusticiam *Editio 1613* : iustitiam

rex¹, tu imperator², tu Dux, tu Comes, tu Marchio, tu Consul, tu senator³, tu plebeie Iohannes, tu etiam Guillelme, Ludovice, quisquis es, quocunque statu aut nomine es, hæc tibi nominatim dici putato, non recordaris quando et quomodo uxorem vicini tui, aut hospitis stupraveris, quomodo fratrem tuum pecunia fraudaveris, ut adversus illum, aut illum falsum testimonium di- [90] xeris. Veniat tibi in memoriam quomodo magistratum aut principatum per corruptelam coeptus⁴ fueris, quomodo iudicem tot ducatis cæcaveris, quomodo veritatis testes dolo amandaveris, falsos subornaveris, quomodo ad vomitum usque, comederis aut potaveris, quando totam noctem alea traduxeris, quomodo damnum aut mortem alterius molitus fueris, quomodo mortem uxoris optaveris, ut aliam ducere posses, quomodo emptores deceperis, quomodo vinum aqua corrueris, quomodo ostensa bona merce, malam supposueris. Denique examina tua dicta, facta cogitata omnia, coget te ipsa veritas in animo tuo loquens dicere. Ego sum totus impurus a vertice ad talos usque. Quod si impuri estis, o fili⁵ hominum, necesse est ut confiteamini vos etiam cæcos esse. Peccato enim cæcantur animi, non secus ac corporis oculi luto, si eo illinantur. Quod si vos cæcos esse negatis, eo cæciores estis, qui cæcitatem vestram non sentiatis, quam equidem possem multi exemplis demonstrare, sed in præsentia duobus contentus ero, ita crassis et apertis, ut quamvis cæcissimi tamen hæc non videre non possitis. Primum erit id quod modo diximus, quod cum templa vestra ad Ierosolymitani exemplum constructa [91] videri velitis, tamen omnia spectant occidentem ut sint illi plane contraria. Alterum est quod in iisdem templis mortuos vestros sepelitis, quo quid cogitari potest absurdius, aut a recta religione alienus? Templum voluit Deus esse mundissimum, ideoque sacrarium appellavit. mortuos vero usqueadeo immundos iudicavit, ut si quis vel tetigisset mortuum, ei nefas esse voluerit in templum intrare, nisi prius expiato. Vos mortuos vestros in templo sepelitis, et quidem quo locupletior, hoc est impurior est (quotus eum quisque divitum sanctus est?) eo propius ad summam aram sepeliatur, ut intelligatur templa vestra, templa esse mortuorum. et deum⁶ vestrum, deum⁷ esse mortuorum. Et postea Iudæos cæcos

1 rex *Editio 1613* : Rex

2 imperator *Editio 1613* : Imperator

3 senator *Editio 1613* : Senator

4 coeptus *Editio 1613* : adeptus

5 fili *Editio 1613* : filii

6 deum *Editio 1613* : Deum

7 deum *Editio 1613* : Deum

clamare audetis? cum Iudæi ipsi istam cæcitatem vestram videant et detestentur. Neque vero hæc ideo dico, quod quicquam referre arbitrer (modo quis intelligat quid sit adorare deum¹ in spiritu et veritate²) utrum ad orientem an ad occidentem verso corpore adores, aut qua in terra mortuos sepelias (Domini est terra, et quicquid ea continetur) sed vos cum locorum regionumque discrimem habeatis, et tamen hæc tam crassa, tam universa, tam quotidiana ignoretis (quis enim hæc animadvertit?) quis vos [92] (nisi cæcus) credat scire res occultiores? aut vestro de rebus divinis iudicio confidat? Et si cæci estis (ut certe estis) qua audacia audetis eos ad mortem damnare, qui Christi nomen confitentur? quis vos religionis causas docuit, a qua estis alienissimi?

Homines literatos semper restitisse veritati. – Cap. XIII.

Respondebitis, credo, vos non ista iudicio vestro facere, sed literatorum, qui vos doceant, quinam sint interficiendi. Et sane ita est. Video enim literatos vestros vobis præscribere ne quem, nisi ex ipsorum iudicio, in causa religionis occidere audeatis³. Age igitur; videamus quales sint isti, et quam iustis de causis vobis ista suadeant. Neque vero nescio quam periculosum sit hoc genus hominum aggredi. Sed tanti est veritas studiumque ignaros iuvandi : adde quod non invehimur in bonos, quales sunt eorum nonnulli, qui tantum aberit ut nos hoc nomine oderint, ut etiam ultro faveant, et hoc studium promovere studeant. Incrudeles illos et sanguinarios loquimur [93] qui semper veritati repugnaverunt. hos detegimus, horum fraudes in lucem proferre molimur, ut incauti cautionem discant, admonitique caveant.

Igitur primum omnium illud perspicuum est, homines literatos semper restitisse veritati populisque fuisse perniciosos⁴. Testes sunt Ægyptii, Ioannes et Membres, qui Mosi repugnarunt⁵. Itemque Chaldæi, in quos invehitur Esaias his verbis : *Evenient tibi* (Babylonem alloquitur) *hæc duo repente eodem die, orbitas et viduitas, et plene evenient, ob tuas tot præstigias, ob astrologiæ tuæ tantam vim, quæ ista improbitate freta negas te*

1 deum *Editio 1613* : Deum

2 Jn 4, 24

3 Castellion se réfère ici à la discussion issue de la condamnation à mort de Servet et, plus spécifiquement, aux textes de Jean Calvin et de Théodore de Bèze.

4 Voir C. Gilly, *Das Sprichtwort 'Die Gelehrten, die Verkerbten' in der Toleranzliteratur des 16. Jahrhunderts, in Anabaptisten et dissidents au XVI^e siècle*, éd. par J. G. Rott et S. I. Verheur, Baden-Baden, 1987, p. 159-172.

5 « Iannes et Iambres », 2 Tm 3, 8

conspici : quæ (tua ista sapientia ac scientia te pervertente) cogitas cum animo tuo te eam esse præter quam nulla sit. Atqui eveniet tibi malum cuius ortum ignorabis : accidet tibi calamitas, quam non poteris averruncare : eveniet de improvise tibi nec opinanti vastitas. Sta quæso cum astrologia tua, cumque istis tot præstigiis, in quibus a pueritia elaborasti, si quid possis proficere, et præ multitudine consiliorum tuorum fatigata corroborari. Adsint sane, teque defendant cæli ventilatores, contemplatores siderum, ex novis lunis divinantes, a tuis futuris casibus¹. Hæc Esaias, [94] ex quibus manifeste liquet, Babylonis perniciem eius sapientibus doctisque acceptam ferri. Quid dicam de Scribis et Pharisæis ? qui quam pertinaciter Christo repugnaverint, quis ignorat ? usque adeo ut cum populus ipse Deum ob Christi miracula collaudaret, illi eius factum tribuerent Beelzebuli², et alicubi sic loquerentur : Num quis primariorum aut Pharisæorum credit in eum ? At ista plebis ignara legis, execrabiles sunt³. Quid quod Christus sic eos obiurgat ? Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei⁴. Ipse Paulus quam acer est in eos ? Infatuavit Dominus sapientiam sapientium, etc.⁵ Scit Dominus sapientium cogitationes esse vanas⁶. Denique legat qui volet diligenter tria prima capita prioris ad Corinthios, ibi videbit quid sentiat spiritus de sapientibus huius mundi tum Iudæis tum gentilibus. Quæ cum ita sint, o principes et populi, cavete ne vos decipiat autoritas sapientium.

Quæritur an sint hodie in ecclesia Scribæ et Pharisæi. – Cap. XV

Hoc loco fortiter reclamabunt docti : vociferabuntur non esse se illorum [95] similes. nec ego sane in eos loquor qui sunt illorum dissimiles : sed in eos qui illos imitantur, persequendo pios. Atque ut res apertius intelligatur, quærit ex vobis veritas, suntne ecclesiæ vestræ Christianæ ? Sunt. Estne in eis pars maior impiorum quam piorum ? Est. Hoc enim non solum fatentur magistri vestri, verum etiam scribunt, et ipsa res nimis palam loquitur. Suntne etiam inter eos malos Scribæ et Pharisæi ? Quid respondetis ? Nam si esse negabitis, mirabimur eam ecclesiam quæ plus impiorum habeat quam piorum, et quæ Iudæorum

1 Ez 47, 9-13

2 Beelzebuli *Editio 1613* : Beelzebub

3 Jn 7, 48-49.

4 Mt 21, 31

5 1 Co 1, 19

6 1 Co 3, 20

ecclesiæ¹ successerit, seque solam ecclesiam esse iactet, immunem esse a Scribis et Pharisæis, præsertim cum ii nusquam nisi in ecclesia locum habere possint. Sin sunt (ut certe sunt, quemadmodum ostendemus) cavete vobis a Scribis et Pharisæis, consiliariis vestris. Atque ut intelligamus an sint, describamus primum illorum naturam, deinde nostros cum illis conferamus, ut ex collatione res elucescat. Sed hoc loco iterum testor me non adversus omnes doctos loqui : neque enim sunt omnes mali, quemadmodum neque Christus loquebatur adversus omnes, cum diceret : Væ vobis Scribæ und Pharisæi hypocritæ, sed adversus malos et hypocritas². Nos igitur adversus [96] malos et hypocritas loquimur, qui calumniis fraudibusque, suis principes et populos impellunt ad occidendos eos qui non sunt occidendi. Qui insontes sunt, ii hæc dici facile patientur. Qui vero non patientur, sed adversus hoc scriptum reclamabunt, ii hoc ipso se sontes esse prodent, nec ullo testimonio aut argumento magis convinci potuerunt, quam quod hæc in improbos scribi ægre ferent.

Collatio scribarum et Pharisæorum nostri temporis cum antiquis. –
Cap. XVI

Primum omnium illi in cathedra Mosis sedebant, et tamen Mosi non obediebant : clavem regni cœlorum habebant, nec ipsi intrabant, nec alios intrare sinebant³ : quid rectum esset, sciebant et docebant, sed facere neque volebant ipsi, neque alios sinebant. Hoc loco venit mihi in mentem memorabile quiddam quod de Atheniensibus et Lacedæmonibus narratur. Erant Lacedæmones homines severi, et literis non expoliti. Athenienses contra, homines erant urbani, literati, et humanis disciplinis addictissimi- [97] mi. Igitur de iis memoriæ proditum est, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum. Cum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui cum legati essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur, et senem illum sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam, Athenienses scire quæ recta essent, sed facere nolle⁴. Hæc narratur, ex

1 ecclesiæ *Editio 1613* : Ecclesiæ

2 Mt 23, 13-29

3 Mt 23, 1 et 13

4 Cicéron, *Cato maior de senectute*, 18, 63

quibus perspicuum fit etiam apud gentiles, eam gentem quæ scientiæ plurimum habuit, minimum habuisse iusticiæ.

Conferamus nunc nostros, inveniemus similimos. Sedent in cathedra Christi : habent claves regni cœlorum : soli enim doctores esse volunt, neque cuiquam (nisi quem ipsi instituerint atque miserint) docere permittunt. Hinc fit, ut si quis viam salutis melius noverit et docere possit quam ipsi, is nullam habeat audientiam, ideoque non possint homines ad Dei regnum perducere. Ipsi interea an intrent, iudicent qui novuerunt eos, certe avaros esse, et voluptatis deditos, et supra mortales omnes ambitiosos, notius vulgo est, [98] quam ut multis ad id demonstrandum verbis opus esse putet. Illi camelum devorabant, culicem percolabant¹. hoc est parvula parata² pro maximis, maxima pro minimis habebant, mente³ et cumini decimas non dare facinus iudicabant⁴. sed quod immisericordes et impii erant, parvi ducebant. In prætorium hominis Romani, hoc est profani, intrare, aut precium sanguinis in Corbonam iniicere, erat eis religio : sed ipsum insontis sanguinem per calumnias haurire, parvi perdebant⁵. Apud hos quoque si quis conciones aut sacramenta parum diligenter frequentat, si doctores interdum inscitæ damnat etiamsi vere id faciat, aut si eos parum diligenter visit et colit, aut si in eorum catechismos iurare, eorumque fidei confessiones per omnia approbare renuit, aut si cum eorum adversariis colloqui, aut eos Paulo⁶ familiaribus⁷ affari, aut laudare audet, iis putre Christi membrum iudicatur, tamquam qui in Spiritum S. peccaverit. At si quis avarus est scurra, mendax, assentator maledicus, gloriosus, modo in illis non peccet quæ modo enumeravimus, præsertim si magistris nostros colat, et sæpe convivii excipiat, is fidelis, is electus, is Chri- [99] sti membrum habetur. vitia illa sunt nævus, homines sumus, ita excusatur. Hoc loco suspicabitur fortassis aliquis me rem nimis exaggerare, et calumniatores reprehendentem, calumniari. Sed ego te, o æterna dei⁸ filia veritas, testor hæc ita esse, et hæc me certo scire, id quod mihi facile confitebitur qui illos noverit. Editus est libellus, in quo hæc verba sunt : *Scire convenit quædam esse vitia, quæ si in aliquo ministro deprehenduntur,*

1 Mt 23, 24

2 parata *Editio 1613* : peccata

3 mente *Editio 1613* : mentæ

4 Mt 23, 23

5 Mt 27, 4-6

6 Paulo *Editio 1613* : paulo

7 familiaribus *Editio 1613* : familiaris

8 dei *Editio 1613* : Dei

statim a functione amoveri debet, cuiusmodi est hæresis, papismus, schisma¹, blasphemia, periurium, fornicatio, furtum, ebrietas, usura, pugnae, illiberalis ludus, ut aleæ, chartæ et id genus alia. Alia vero sunt eiusmodi, ut licet, permitti non debent, tolerari tamen aliqua ex parte possunt, modo admonitus extemplo resipiscat, utpote ratio tractandi scripturas curiosa magis quam utilis, frivolæ item quæstiones, negligentia tam in concionibus quam in reliquis studiis ac rebus suis, urbanitas scurrilis², adulatio, mendacium, obtrectatio facetia, obscœnitas, fraus, avaritia, joci, scommata, luxus circavestitum, gestum aut alias actiones³. Hæc sunt illorum verba, in quibus apparet apud eos gravius peccatum esse non dicam iam furtum, ebrietatem, usuram, sed aleæ chartarumque ludum, quam scurilitatem, adu- [100] lationem, mendacium, obtrectationem, obscœnitatem, fraudem, et radicem omnium malorum avaritiam. Neque vero miror quod ita sentiant, cum eorum vita sit talis, et ea quisque vitia parva ducat, in quibus non ita invitus versetur. Nam apud eos scio scurilitatem, adulationem, mendacium, obtrectationem, obscœnitatem, fraudem, avaritiam pro parvis vitiis haberi, et quotidiana esse. Sed quod hæc etiam literis prodiderunt, nequeo satis cæcitatem tantam mirari, nisi quod hoc dei⁴ providentia factum videtur, ut totus mundus videat eos esse qui culices chartarum et aleæ percolent, et camelos scurilitatis, avaritiæ, et cæteros devorent. nunc, o cæce munde, et istis de rebus obscuris ignotisque crede, qui in rebus tam apertis tam turpiter publice hallucinentur. Et tamen vix credibile est, neminem esse inter eos qui hæc viderit : sed si qui vident, dicere non audent, metu Scribarum et Pharisæorum : usqueadeo irritabile etiam sævum est genus illud hominum.

Erant Scribæ et Pharisæi vindictæ cupidi. Quid hi ? Si quis eos offendit, irreconciliabile est odium. verbis, libris, [101] autoritate, privatim, publice toto orbe eum infestant et persequuntur pertinacissime. sæpe etiam post mortem, adeo ut ipsos principes offendere sæpe sit tutius, quam istos crabrones. Ut sæpe multos pene ad desperationem adegerint, quod nusquam tuti esse possent, neque ullos homines invenirent, qui vel mercimonia cum eis contrahere vel vellent vel auderent. usqueado nemo fere est, qui istos homines non aut adoret, aut reformidet. Quod si quis hæc non credit (tametsi nemo, credo, erit qui non credat, cui quidem illi noti sint) sed tamen si quis erit qui non credat, observet quid illi

1 *schisma Editio 1613* : scisma

2 *scurrilis Editio 1613* : scurrilitas

3 Le texte que cite Castellion n'a pas été identifié.

4 *dei Editio 1613* : Dei

facturi sint adversus hunc ipsum libellum¹ (si forte author ipse eorum manus evadere poterit) aut etiam adversus eos qui hunc libellum habere aut distrahere ausi fuerint. Facile ostendent quam vera ego dicam : nec metuo ne me refellent. et tamen utinam ita mites repente fiant, ut ego mentitus videar. Sed hoc optare quam sperare facilius possum.

Erant illi potentium amici atque cultores : inopes quidem et pauperes non magno precio habebant. An nostri eadem [102] faciant, quid opus est multis verbis ? sciunt omnes.

Illi dei² præcepta suis institutis irrita reddebant. Hi faciunt eadem. Præcepit enim deus³ voce Pauli, ne quis quicquam faciat contra conscientiam suam, hoc est contra quam rectum esse putet. non⁴ quis alterum ad faciendum impellat vel exemplo suo. Itaque si vescendo carne in causa sis, ut alter dubitans an liceat, tamen vescatur, peccas⁵. At isti non iam exemplo, sed (quod longe deterius est) vinculis, exiliis, maledictis, infamia impellunt homines ad peccandum. Si quis enim in eorum doctrinam iurare nolit, aut in damnationem mortemve alicuius, quem ipsi oderint, consentire renuat, hunc ita inclementer vexant, torquent, exagitant ut multi metu, contra animi sui sententiam illis assentiantur, atque ita conscientiam suam labefactent.

Illi quærenti Herodi ubinam nasciturus esset rex Iudæorum, responderunt Bethlehæmæ, quippe cum ita heberetur in literis, quarum erant illi ministri. Sed ipsi Bethlehæmam non idcirco iuerunt⁶. Ita hi si quæras qualis vita sit hominis Christiani, respondent eam esse sanctam, summissam [103] pauperem, calamitosam in hoc seculo. sed ad eam pauperiem atque calamitatem multum abest ut se summittere velint.

Illi onera intolerabilia aliorum humeris imponebant, quæ ipsi ne digito quidem attingebant⁷. Hi quoque alios ad patriam, parentes, natos, facultates relinquendas, aut ad mortem pro Christi nomine oppetendam impellunt, et æternam pœnam, nisi id fiat, minantur, cum ipsi ne iram quidem, aut ambitionem suam pro Christo velint relinquere.

1 Castellion se réfère ici à son *De hæreticis an sint persequendi, et omnino quomodo sint cum eis agendum, Luteri et Brentii aliquorumque multuorum tum veterum tum recentiorum sententiæ. Liber hoc tam turbolento tempore pernecessarius, et cum omnibus, tum potissimum principibus et magistratibus utilissimus, ad discendum, quondam sit eorum in re tam controversa, tacque periculosa, officium, Magdeburgi, Georgium Rausch, [Basel, Oporinus], 1554. [Reproduction en facsimilé de l'édition de 1554, avec une introduction de Sape van der Woude, Genève, 1954]*

2 dei *Editio* 1613 : Dei

3 deus *Editio* 1613 : Deus

4 non *Editio* 1613 : ne

5 Rm 14, 14-5 ; 1 Co 8, 7-13

6 Mt 2, 5-6

7 Mt 23, 4

Illi terras et maria pererrabant, ut aliquem in Iudaismum possent pertrahere quem deinde redderent duplo gehenna digniorem quam essent ipsi. Hi homines in suas ecclesias, missis et libris et hominibus, ex omnibus undique terris pelliciunt, quos deinde eodem fastu et arrogantia, eademque avaritia et pervicacia repleant qua sunt ipsi præditi.

Illi cum populus Christo faveret, eum sapere non sinebant, sed ita pervertebant, ut quem paulo ante, recte sentientes, cum applausu illo, *Hosanna* exceperant, eundem mox crudeli illa voce, *Crucifige*, ad patibulum deposcerent. Hi si quem malus etiam populus, propter morum probitatem, et in contrahendis negociis fidem laudat [104] et amat, hæreseos propter aliquas cæremonias aut opiniones accusant, et ita denigrant atque traducunt, ut homines cum illo rem habuisse, sibi piaculare ducant. Et si quis cum aliquo homine pio, sed illis invisio colloctus, et eius oratione delectatus, ad illos refert, illi pium illum hæreticum et impostorem. appellantes, ita deformant, ut miser ille, eorum authoritati plus credens quam sensui suo, cupiat quicquid verborum a pio illo audivit, si fieri possit, evomere¹.

Illi propemodum soli Christum persequebantur, accusabant, et alios summa diligentia in eius necem incitabant. Hi faciunt idem. nam persecutiones nullæ fere in causis fidei existunt nisi istis authoribus. id quod mihi omnium conscientia, qui eis in huiusmodi persecutionibus inserviunt, facile attestabitur.

Illi et omnes inter sese (quamvis alioquind dissidentes) consentiebant, et cum inimicis etiam, vel potius cum iis quos impios iudicabant, videlicet cum Romanis, conspirare non dubitabant, dum modo Christum de medio tollere liceret. Hi quoque, licet inter sese discordes (vix [105] enim tres inter eos invenias qui sint omnibus in rebus concordēs (id quod et populi, et eorum libri facile fatebuntur) tamen in persecutionibus et secum ipsi, et cum iis etiam sectis, quas alioquin pro hæreticis habent, et cum principibus et magistratibus, quos alioquin iniustitiæ accusare solent, denique cum omnibus conspirant, dum sanguinem effundere liceat, sed aliena manu, quoniam nobis (inquiunt) non licet occidere quenquam.

Illi Barrabam latronem liberari postulabant, quo Christus periret. Hi quoque sæpe adulteris, cæterisque facinorosis veniam postulant, eosque summa arte defendunt et excusant : pios vere² ad necem incredibili improbitate deposcunt, quando accidit ut alicuius principis primo in aliquam urbem adventu liberentur (ut fieri solet) facinorosi, eos qui

1 Tout ce passage se réfère à Mt 23

2 vere *Editio 1613* : vero

propter religionem in vinculis habentur, de medio summovent, ne sit eis principis gratia salutaris, quod quidem nihil aliud est quam animas occidere non occidendas, et vitam dare non vita dignis.

Illi Rabbi vocari amabant, sibi que [106] docendi potestatem vendicabant¹. Quid hi? qui si Christus ipse veniat, nunquam ei suggestum conscendere permetterent nisi sit ab ipsorum ordine vocatus, et nisi tres illas linguas, quæ Christum crucifixerant, videlicet Latinam, Græcam, et Hebraicam calleat, aut saltem Latinam, quoniam eius linguæ, hoc est gentis Romanæ, fuit in crucifigendo Christo primaria potestas. Itaque Latinæ linguæ (quasi hoc velint, quamvis ignorantes, dicere, non habemus regem nisi Cæsarem Latinum², tantum tribuunt, ut populos docere non nisi Latine peritis permittant, et ad reformandos populos deligant ex scholis suis adolescentes plerunque improbissimos, hoc solo nomine quia latine sciunt, et quia nescio quas artes, quas humanas (et vere humanas, neque enim divinæ sunt) appellant, didicerint. Hi soli digni habentur qui de Christo doceant. Quid de honorum titulis loquar? Si istos vel scripto vel ore alloquere, nisi bonam orationis partem, præsertim frontem, honorariis tituli referseris, graviter peccaveris. De superiorum quidem seculorum sanctis viris Noa, Abrahamo, Mose, Elia et cæteris : qui dico de viris? de Deo ipso contem- [107] ptim et nulla honoris præfatione loqui, apud istos non habetur vitiosum : at de magistris nostris, præsertim adhuc viventibus, (quoniam viventibus potissimum assentari solent homines) sine honoris titulo loqui, est piaculum. ut videas quanto velint ipsi se in suo regno maiores haberi quam Deum.

Non esse credibile improbos esse eos quos literati persequuntur. –
Cap. XVII

Et cætera quidem, in quibus eos cum Scribis et Pharisæis contulimus, fatebuntur etiam ipsi (nisi plane depuduerunt) si non verbis, at certe animo et stridore dentium. Sed quod diximus eos esse piorum persecutiones³, hoc vero pernegabunt, dicentque se non piorum, sed hæreticorum esse persecutores. Et hæc me causa potissimum impulit ad scribendum, ut ostenderem eorum hac in parte calumnias. Itaque totum hoc negotium accuratius perpendamus. Principio cum sint ipsi Scribæ et Pharisæi, mundani (ut certe sunt : aut ego nescio quid sit esse mundanum) non

1 Mt 23, 7-8

2 Latinum, *Editio 1613* : Latinum)

3 persecutiones *Editio 1613* : persecutores

est verisimile mundanos ab eis persecutione vexari. Nam ut est in proverbio, lupus lupinam non est. [108] ut Christus loquitur : *Si de mundo essetis, mundus amaret sua : sed quia de mundo non estis, mundus vos odit*¹. Si de mundo essent qui vocantur hæretici, mundus eos amaret. Atque hoc ex eo maxime patet, quod isti Scribæ et Pharisæi a mundanis alioquin minime abhorrent. Nam cum avaris, fœeneratoribus, assentatoribus, scurris, superbis, immisericordibus, nimis quam familiariter versari solent : et licet in tales homines aliquando pro suggestu generaliter invehantur (id enim tum facere necesse habent, cum sunt in cathedra Mosis) at privatim quidem cum nullis hominum plus habent commercii, nec ullos diligentius excusant, nec ullorum peccata magis sedulo tegunt. ex quibus facile est videre, eos non odisse mundum. Si enim odissent, primum in seipsis, deinde in familiaribus suis odissent. Neque quisquam mihi hic obiiciat : tamen canes etiam in canes interdum sevir² : sic fieri posse ut etiam impii in impios sæviant. Sæviant canes in canes non quia canes sunt, sed quia ipsis nocent. Sic sæviunt, fateor, impii interdum in impios, non quia impii sunt, sed quia ipsorum avaritiæ, aut ambitioni, aut vo- [109] luptatibus, aut vitæ officunt. At ut impius in impium hoc ipso nomine quia fit impius, sæviant, hoc vero fieri non potest. Nam impietatem qui odit, is eam primum in seipso odit. Itaque minime omnium credibile est, istos Scribas et Pharisæos, iis quos hæreticos appellant, hoc ipso nomine infestos esse, quia illi sint impii. aliquam esse causam aliam oportet quamobrem id faciant. Id quod ex eo quod iam dicam, apertissime perspici potest. Fuerunt aliquando ab eis quidam alioquin inculpatæ vitæ homines, hæresos accusati, et eo tandem istorum improbitate perducti ut recantaverint. Iidem post recantationem evaserunt omnium hominum nequissimi atque perditissimi : ac tum quidem nemo eis molestus fuit. Itaque interrogati cur nunc essent ita improbi, cum antea hæretici fuissent tam probi, ita responderunt : Probos nos isti ferre noluerunt, improbos facile ferunt. Sunt hæc verissima, et isti hæc legentes (si forte legent) facile recordabuntur quibus locis et temporibus hæc acciderint, aut etiam quibus libris ab ipsismet literaris scriptum aliquot horum exemplum fuerit. Quæ cum ita [110] sint, videntur qui ab istis accusantur, non ob improbitatem aut impietatem accusari. Quod ut facilius perspici possit, videamus cuiusmodi esse soleant accusationes.

1 Jn 15, 19

2 sevir *Editio 1613* : sævire

Conferuntur calumniæ Scribarum et Pharisæorum nostri temporis cum antiquis. – Cap. XVIII

Demonstravimus supra quibus calumniis Christum oneraverint apud Pilatum Iudæi, quam quidem demonstrationem facile approbabunt omnes. Sed quid iuvat Iudæorum calumnias sero tandem videre atque odisse, si nostro tempore eadem fiunt, et ea detegere non licet? Patiantur homines sui temporis calumnias ad utilitatem suam detegi. alioquin superiorum seculorum peccata videre, nihil prodest. Conferamus igitur istorum accusationes cum illorum accusatione, ut videamus quam sint hi illorum similes. Verum quoniam in hac collatione non solum accusatores nostros cum Iudæis, sed etiam reos cum Christo conferimus, illud præfari volo (ut istorum hac quoque in parte calumnias, si fieri potest, declinem) non me de omnibus qui accusantur, verba facere. Scio multos multa peccare. Tandem de iis loquor qui vitæ alioquin probæ, [111] aut certe nihilo deterioris quam sunt vel qui accusant, vel qui iudicant, nullius facinoris rei aguntur, tantum de opinionibus religionis accusantur. Quæro igitur quanam via accusentur. Erat Iudæorum brevissima illa facilimaque accusandi via. *Nisi esset hic maleficus, nunquam eum tibi tradidissemus*¹. Nostri equidem non multo sunt æquiores. Vidi enim quosdam, qui cum rationibus et veritate factum magistrorum nostrorum defendere non possent, qui hominem quendam ob religionem, vivum comburendum curassent, postremo eo evaserunt ut dicerent. Nisi fuisset morte dignus, nunquam eum ecclesiæ damnassent, et quidem de iis ecclesiis loquebantur, quæ in alias ecclesias, quia illæ sibi nimis autoritatis vendicaverint, vulgo debacchari soleant. Hæc igitur esset proxima via. Et alioquin eorum discipuli, si quibus aut de aliquibus, quos sæpe nunquam viderunt, maledicunt, et tum eos rogas, unde sciant hunc aut illum, de quo maledicant esse talem, ita respondere solent. *Qui nobis hoc dixerunt sunt viri boni*, non hoc somniarunt. Usque adeo habetur hodie in vulgus. per testimonia autoritas. neque putant fieri posse, ut falsum testimonium dicant Scribæ, et Pharisæi. [112] Sed quoniam Pilatus non ita facile hominem ab autoritate accusatorum vult damnare, videamus quænam soleant in iudiciis proferri crimina. *Hunc invenimus pervertentem gentem*. Hæc fuit accusatio Iudæorum². Quid nostri? Hic homo est hæreticus, putre membrum, ab ecclesiæ corpore resecandum,

1 Jn 18, 30. En marge, dans les deux éditions, Castellion signale de façon erronée la référence à Jn 10

2 Lc 23, 2

ne alios suis erroribus inficiant. Sed quid commisit ? Horrenda. Quænam tandem ? Estne homicidia ? an adulter ? an fur ? Non est. Quid ergo ? Non credit in Christum, aut in sacras literas ? Imo ita credit, ut mori malit, quam non in fide sua perseverare. Sed eas male intelligit, hoc est aliter intelligit quam magistri nostri, qui vocantur ecclesia. hoc capitale, hoc flammis expiandum est. Sed illa criminatio longe est valentissima, si possunt tale aliquid dicere : Prohibet tributum solvi Cæsari, etiamsi plane contra docueris, solvenda Cæsariana Cæsari, et divina deo¹, hoc est magistratus officium esse iudicare de causis civilibus, prophetarum vero de divinis. Si sic, inquam, docueris, clamabunt tolli a te magistratum, nec ullam defensionem audient. scientes nimirum hunc esse promptissimum hominis occidendi mo- [113] dum. cum tamen non ignoremus quantopere Iudæi isti Cæsares suos oderunt. sed tantum est odium, ut cuivis is potestatem suam tradere malint, quam Christi iugum subire. Quid illud ? Seditionem excitat in populo doctrina sua. seditionem enim interpretantur, si eos reprehendas, et aliquid aliter doceas quam ipsi cum sint ipsimet seditiosissimi. Nam nisi ipsi potentes ad sanguinem effundendum irritarent, nunquam tot seditiones in populo existerent. Principes enim in suis voluptatibus demersi, facile in sua quemque religione vivere sinerent, dummodo ab omnibus tributa cum pace acciperent : quæ quidem solvunt nulli libentius aut fidelius, quam qui vulgo hæretici vocantur. Quid illud² : *Nos legem habemus, secundum quam legem debet mori, quia filium dei³ se fecit⁴* ? quomodo hoc imitantur ? mirabiliter. Iudæi enim nullam talem (quod sciam) legem habebant, nisi forte ipsi fecerant, aut legem alicubi torquentes, sinistre interpretabantur. Sic isti cum nullam legem habeant, quæ huiusmodi homines occidi iubeat ; torquent mirabiliter sacras literas, easque suis odiis et invidiæ servire cogunt : aut etiam [114] ipsi novos (ut vocant) articulos fingunt, novosque catechismos et institutiones introducunt, quibus nisi credas, sis hæreticus, et porro occidendus. Tale est quod supra ex eorum libello illo adduxi, quem quia approbare noluit adolescens quidam, a cœna exclusus est, et pro ethnico iudicatus. Tale est et illud quod ediderunt nuper libellum de Prædestinatione⁵, in quo docent

1 deo *Editio 1613* : Deo

2 illud : *Editio 1613* : illud ?

3 dei *Editio 1613* : Dei

4 Jn 19, 7

5 Castellion se réfère ici probablement à J. Calvin, *De Æterna Dei Prædestinatione, qua in asalute alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit : item de providentia, qua res humana gubernat*, Genève, Ex officina Ioannis Crispini, 1552. En 1557 Calvin écrit aussi la *Brevis*

deum¹ nolle ut omnes homines serventur, sed quosdam nominatim ad æternas creasse pœnas. et hanc doctrinam vocant in ipso statim libelli titulo, præcipua capita religionis Christianæ, ut si quis huic non assentiatur is merito damnandus esse videatur, quod præcipuis Christianæ religionis capitibus refragetur. Ita tendunt ubique laqueos legum suarum, quibus eos capiant, quos legibus divinis capere non possunt. In quo quidem facile ostendunt se esse illorum filios, qui cum Danielis vitam, utpote inculpatam, criminari non possent, legem excogitarunt quam eum caperent. Impetrarunt enim a rege ut ediceretur, ne quis intra dies triginta quicquam ab ullo vel deo² vel homine, nisi ab ipso rege, peteret, non dubitantes videlicet quin Daniel esset contra legem illam factururus³. Sic isti vel sacrarum literarum [115] interpretationes, vel suas institutiones introducunt, saciendasque curant, ut qui deinde contra vel dixerint, vel fecerint, puniantur. O populi, utinam vos hæc tam perspicue videatis, quam ego : utique vos gravi tenebrarum servitute facile possetis liberari. Sed nescio qua sinistra mente fit, ut diligant tenebras homines magis quam lucem quæ venit in mundum, quo fit ut nihil melius pœna expectandum esse videatur.

Superest illa calumnia, Possum destruere templum dei⁴, et triduo instaurare⁵. Ea est in verbis immutatis. neque enim ita dixerat Christus. Hodie quomodo isti aliorum dicta aut facta pervertant, et in sinistram partem accipiant, longum esset referre. Si quis dicit magistratus officium non esse iudicare de causis religionis, dicitur eum tollere magistratum. Si dicit, hominem posse per Christum obedire legi dei⁶, dicunt eum tribuere salutem suis operibus, et Christi beneficium negare. Si in ali-

responsio Io. Calvini ad diluendas nebulonis cuisudam calumnias quibus doctrinam de æterna Dei prædestinatione foedare conatus est, Genevæ, Ex officina Ioannis Crispini ; mais on doute que Castellion aie lu ce dernier texte avant d'achever son De calumnia liber. Sa réponse au texte calvinien du 1557 se trouve par contre dans la Defensio ad auctorem libri, cui titulus est Calumniæ Nebulonis, achevée en 1558 et publiée pour la première fois dans les Dialogi IIII du 1578. Voir à ce propos l'introduction à la présente édition. Enfin il faut rappeler que Castellion s'opposa à Bèze, mais aussi à Martin Borrhaus justement sur la question de la prédestination entre 1555 et 1557. Sur le contexte historique de ces années, qui concerne aussi la composition du De Calumnia liber, voir F. Buisson, Sébastien Castellion, sa vie et son œuvre, édité et introduit par M. Engammare, Genève, 2010, Vol. II, 5 p. 6-77 et 103-132. Voir aussi H. R. Guggisberg, Sebastian Castellio 151-1563. Humanist und Verteidiger der religiösen Toleranz im konfessionellen Zeitalter, Göttingen, 1997, p. 153-158.

1 deum *Editio* 1613 : Deum

2 deo *Editio* 1613 : Deo

3 Dn 6, 4-10

4 dei *Editio* 1613 : Dei

5 Mt 26, 61 ; Mc. 14, 58

6 dei *Editio* 1613 : Dei

cuius concionatoris mores aut flagitia loquaris, dicent te maledixisse de officio concionandi, et in sacram Sionem cum Senacheribo¹, invecum esse. Si hominem aliquem, qui vel errat, vel errare videatur, neges esse aut fuisse persequendum aut occidendum, dicent te eius esse socium et [116] gregalem, et hæreticorum asseclam. Denique tanta est apud istos calumniandi quotidiana licentia, ut nihil tam prudenter dici fierive possit, quod non calumnientur, si hominem oderunt : rursumque tam impudens assentandi consuetudo, ut nihil tam male dici fierive possit quin id excusent, si homini favent, etiamsi ille vivum hominem combusserit. Et hactenus quidem eos contulimus cum scribis et Pharisæis antiquis. Nunc quoniam proficiunt in utramque partem, et ad perfectionem tendunt secula, hoc est, quoniam quemadmodum iusti fiunt iustiores, sic et iniusti fiunt iniustiores, consideremus, ecqua in re nostri superant antiquos.

Quibus in rebus Scribæ et Pharisæi nostri seculi deteriores sint antiquis. – Cap. XIX

Illi quamvis in eos acerrime inveheretur Christus, et toties illud, Væ vobis Scribæ et Pharisæi simulatores, et avari, et ambitiosi, publice vociferaretur, tamen eum circiter tres annos et dimidi- [117] dium, adhærente ei magna hominum multitudine, publice docere passi sunt. At hi, si quis non dicam in eos invehitur, sed omnino si quis ab eorum interpretationibus et institutis aut ceremoniis dissentit, is eodem die aut eadem (si fieri potest) qua primum visus est hora, in vincula rapitur. deinde ex vinculis ita disputant et causam dicit, ut nisi contra animi sui sententiam illorum dictis assentiri, hoc est nisi mentiri velit, ei vel pereundum sit, vel si qui aut minus inclementes (neque enim est omnium par crudelitas) aut minus potentes sint, in exilium certe abeundum, aut aliqua omnino pœna subeunda sit. Loqui quidem ei per istos in perpetuum non licet. Illi reo Christo tamen loqui permisserant. Isti reis sæpe linguas (ne populus loquentes audiat) præcidunt, aut oribus diductis bacillo, loquendi facultatem adimunt, aut importune magnoque strepitu occlamantes, eorum verba obruunt. Alii qui se sanctiores esse volunt, et tantam iniquitatem in aliis reprehendunt, tamen eadem, sed alio quodam modo, faciunt. Imprimunt enim famosos calumiisque refertos libros adversus eos, quos i- [118] psi toto orbe

1 Voir 2 Ch 32

reos faciunt, deinde per magistratum (hoc enim habent validissimum brachium) efficiunt ut typographis reorum responsiones excudere non liceat. aut si forte tamen furtim alicunde prodierunt, comburendas curant, et omnes qui illas vel vendunt vel emunt, hostium numero habent. Discipulosque olim suos diligenter monent ne cum iis, quos ipsi pro hæreticis habent, commercium habere neve colloqui (nisi forte inimice et iurgando) audeant. Sciunt enim, si colloquantur, futurum esse, ut pateant calumniæ. Hinc fit ut quos ipsi denigrant, hi toto orbe infames sint, duratura hac infamia quandiu regnabit iniustitia. Neque enim tantum iudicii habent populi, ut suspicari possint eos esse calumniatores, qui sunt gubernatores mundi. Eam iniquitatem putant esse præteritorum seculorum, aut certe pergrinarum gentium, seque ab ea immunes esse.

Illi sæpe Christi dictis ita, conpescebantur, ut contra ne mutire quidem auderent. cuiusmodi fuerunt illa : *Solvite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*¹. Item, *Innocentissimus vestrum iaciat primus lapidem*². At hi ita sunt pertinaces, ut crepare quam [119] vinci malint. ita rursus versuti et versipelles, ut nihil tam aperte tam munitum rationibus dici possit, quin id aliqua distinctione eludant, adeo ut etiam si aliquid tam certo scias quam digitos unguesque tuos, tamen nisi sis adversus huiusmodi lubricitates bene exercitatus, aliquando in dubitationem adducaris : aut si firmus in veritate persistas, eos tamen refellere nequeas. Nec mirum est. Didicerunt enim artem quandam disserendi, quam ipsi vocant Dialecticam. hanc esse tradunt artem disserendi probabiliter in utramque partem, de quavis re proposita : hoc est veritatem vel defendendi vel oppugnandi³. In hac arte sese a teneris exercent in scholis suis. Deinde ubi ad obeunda munia, aut ad docendos de evangelio populos ventum est, eam partem arte illa tuentur cui favent. quemadmodum miles in armis exercitatus ab eo principe stat cui favet, aut a quo maiora præmia consequitur. Quod si forte favent iniustitiæ, hoc est si sunt iniusti (et quota pars iniusta non est ?) iniustitiam mendaciumque illa arte tuentur, idque sub specie et nomine iustitiæ atque veritatis, alioquin non disputarent probabiliter adversum veritatem, quod tamen facere docet ars eorum. O Babylon, [120] o Ægypte, utinam tuorum magorum præstigias mature detegi

1 Mt 22, 21 ; Mc 12, 17 ; Lc 20, 25

2 Voir Jn 8, 7

3 Voir S. Castellion, *De l'impunité des hérétiques – De hæreticis non puniendis*, édité par B. Becker et M. Valkhoff, Genève, 1971, 45 et 247.

patiaris. O veritatis pater Deus, utinam mittas, et cito mittas Mosem, aut Danielelem, aut Iosephum aliquem, qui planum faciat quanto superet homo simiam, quantoque vera miracula sint potiora falsis.

Admonitio ad mundum, in qua mundi in rebus divinis cæcitas demonstratur. – Cap. XX

Hæc sunt quæ de sapientibus huius seculi, qui sunt calumniatorum facile principes, ideoque homines propter religionem (quæ bonorum princeps est atque parens) calumniantur, in præsentia dicere visum est, ut homines, si fieri potest, animadversa hac eorum natura, desinant deinceps ad istorum sapientum libidinem fundere non fundendum sanguinem. Possem multorum huius generis sapientum calumnias et flagitia, additis et locorum, et temporum, et hominum nominibus, singillatim recensere, quæ si nossent homines, nunquam se (nisi plane scientes perire vel- [121] lent) eorum ductu agi paterentur. Sed hæc in universum generatim dixisse mihi in præsentia satis erit. Utinam ita generaliter admoniti, sic se corrigant, ut nunquam sit quisquam nominandus. Superest ut vos, o principes, et magistratus, et populi, admoneam (si modo vos de rebus ad salutem vestram pertinentibus admoneri sustinetis) quodnam vestrum sit hac in re officium. Non ego hic vos cohortor ut sapientes istos persequamini, facerem enim contra Christianam charitatem, quæ iubet reddere bonum pro malo, tantum peto ne eorum arbitrio sanguinem fundatis hominum non facinorosorum. Neque item suadeo ut a facinorosorum pœnis abstineatis, cuiusmodi sunt latrones homicidæ, adulteri, proditores, falsi testes, de quibus vos facile iudicare potestis, et de quibus sectæ omnes, populi omnes, secula omnia (tanta aperta est, tantasque vires habet in hisce rebus veritas) hactenus semper idem iudicium tulerunt, eosque rite puniverunt, neque in hoc iudicio errarunt. Neque item de omnibus literatis locutus sum. Docet enim et experientia, et Paulus, non esse multos sapientes, non mul- [122] tos nobiles, non multos divites, qui Christi doctrinam vel docuerint vel admiserint : sed stultissima mundi eligit deus¹, inquit, ut sapientes confunderet². Dum dicit non esse multos, fatetur esse nonnullos, sed tamen raros. Hic ego (quod iam ante feci) non teneo me quin vos vestræ cæcitatis admoneam. Creditis in Christum. hoc enim iactatis. De Christo vobis

¹ deus *Editio 1613* : Deus

² 1 Co 1, 26-27

sic præcepit Pater Deus : *Hic est filius meus dilectus, hunc audite*¹. Atqui idem Christus ipse spiritu exultabundus suo ore sic loquitur : *Ago tibi gratias, pater cœli terræque domine, quod hæc cœlesti sapientes et peritos, et patefecisti parvulis*². Auditis hæc, o homines ? quod si auditis, et si in Dei filium creditis, cur a sapientibus et doctis, rerum divinarum scientiam petitis, non a parvulis et humilibus ? quæ est ista cæcitas, qui veterinus, tam apertæ veritati non credere ? Enimvero video quid sit, tempus est tenebrarum : locum habent Baalis sacerdotes, Ægyptiique et Babylonii magi, et habeant necesse est. Nisi enim haberent, et Elias ante ipsos ignem charitatis de cœlo devocaret, iactarent fortasse postea sese idem potuisse, si ipsis fuisset locus datus. Nunc postquam ipsi omnia cona- [123] ti, et omnia a populis et Iesabele præsidia et insuper tempus non tantum ad meridiem, sed ad vesperam usque consecuti, tamen nihil efficere potuerint, nihil habebunt excusationis, et Elias tandem locum habebit³. Vos nunc quidem a solis doctis veritatem petitis, hos solos scire res divinas, ipsorum doctrina decepti, putatis, neque reclamantem Christum auditis, quasi vel Christus vera non dicat, vel Deus naturam suam mutaverit, ut humanam sapientiam (quæ stultitia est apud Deum) olim aspernatus, nunc tantopere amplexetur atque extollat, ut solis doctis veritatem patefaciat. Sed tempus erit, et brevi erit, cum vobis non plus erit in istis doctis præsidii, quam olim vel Pharaoni, vel Nabucodonosori⁴, aut Balsasari fuit in suis magis, tandemque ad eos, quos nunc non solum nihili facitis verum etiam occiditis, recurrere cogimini, et discere quod sit illud, Ex ore infantium, et lactantium patrastris⁵ fortia facinora. Et mirum est nisi hæc iam animadvertere incipitis. Nam sapientes istos perspicuum est usque adeo nihil efficere, ut ne consentire quidem inter sese possint, non magis quam Madianitæ. Cæterum quoniam dixi duo esse genera sapientium, si nosse vultis eos in quos [124] ego invehor ad salutem vestram, hi sunt qui eas iniquitates exercent, quas ego recensui. his⁶ notis eos nosse poteritis : et maxime ex eo quod cum primum viderint hunc libellum, in eum ita furient, ut nunquam furiosiores fuerint adversus Paulum Iudæi illi, qui se devoverunt si cibum caperent, quin prius Paulum occidissent⁷. Quod si negant se esse tales, taceant, et hiuc

1 Mt 17, 5 ; Mc 9, 7

2 Lc 10, 21

3 Voir 1 R 18 et 19

4 Nabucodonosori *Editio 1613* : Nabuchodonosori

5 *Marginalia* : Quomodo dignosci possit, in quosnam dictos invehatur author

6 his *Editio 1613* : His

7 En marge, dans les deux éditions, Castellion signale la référence à Ac 27

libello dent locum, eumque ad se nihil pertinere arbitrentur. est¹ enim adversum malos pro ignarorum salute scriptus, non adversum bonos. Sin hunc libellum ferre nolent, facile ostendent se tales esse, in quales scriptus est hic libellus. Qui enim iniustos ad aliorum salutem detegi non vult, is iniustorum cognatum se esse testatur.

Igitur si salvi esse vultis, nolite credere huius mundi sapientibus. nam² certe infatuavit deus³ sapientiam huius mundi. sed ita rem perpendite. Sapientes huius mundi semper veritati restiterunt, idque propter suam et seculi approbantis et tuentis iniustitiam. Atqui seculum est nunc omnium iniustissimum, et illi sapientes iniustissimi. quod si sunt, manent causæ cur velint adversari veritati, [125] videlicet avaritia, ambitio, voluptatis amor. et si manent causæ, manent effecta, videlicet persecutio. et effecta nos videmus : persequuntur enim non flagitiosos, sed in opinionibus ab ipsis dissentientes : vos quoque nihilo estis iustiores antiquis, sed potius iniustiores, proficiente in deterius seculo, quo fit ut de causis religionis iudicare non possitis : carnalis enim (ut docet Paulus⁴, et experientia loquitur) de rebus spiritualibus iudicare non potest. Accedit eo quod qui accusantur, sunt et Scribis et Pharisæis accusatoribus suis, et vobis damnatoribus plerumque meliores. Plerumque propterea dico, quod scio non omnes qui accusantur, esse pios. Sunt enim quidam qui verbis Christum profitentes, factis negant. Sed ne illi quidem propter facinora sua, sed duntaxat propter opiniones occiduntur, id quod iniustum et calumniæ opus est. Reliqui testimonio sæpe vestro, non nunquam etiam ipsorum doctorum, vivunt inculpate. Itaque quoniam eorum vitam reprehendere nequeunt, invexerunt nuper hanc opinionem, ut negent vitam spectandam, sed doctrinam. Vident enim si vita spectetur, futurum esse [126] ut ipsi iis quos accusant, iniustiores comperientur⁵. Ita tutius esse putant accusare doctrinam, cuius ipsi cum claves habeant, facile eos opprimere possunt, qui pro ipsorum latam portam intrare nolunt. At⁶ vos nolite decipi : qui iusta facit, iustus est, qualis est fructus, talem esse arborem credite. neque enim ferunt cardui uvas : neque mala doctrina bonam vitam parit, neque bona vita a mala doctrina proficiscitur. Etiam si alicubi erretur (quis autem non

1 est *Editio 1613* : Est

2 nam *Editio 1613* : Nam

3 deus *Editio 1613* : Deus

4 1 Co 2, 14

5 comperientur *Editio 1613* : comperiantur

6 *Marginalia* : Ex vita iudicandum est de doctrina.

errat ? an putatis vos erroribus carere ?) at illa certe doctrinæ pars quæ¹ bonos piosque mores parit, sana est, quæ sanos faciat. Quæ si quis negat, is se affinem esse profitetur iis, qui Christi miracula tribuebant Beelzebuli², quasi Satanam³, quasi mala doctrina malos mores eiiciat. Non potest arbor mala ferre fructus bonos : ipsorum literatorum doctrinam credibilius est esse malam, cum ea malos mores faciat. sunt enim ipsimet mali. Neque enim semper sedent in cathedra Mosis, sed nobis sæpe commenta somniaque sua pro oraculis ostendunt, id quod vel ex eo cuius patere potest, quod tot sunt eorum opiniones, ut ad eas numerandas opus sit bono arithmetico, quarum tamen multitudo quotidie ita augetur, ut in cha- [127] os illud antiquum evasuræ sint, omnibus ita confusis et implicatis, ut igni potius divino conburendæ, sicuti quædam intricatæ stuppæ, quam explicandæ videantur.

Prædixit Christus fore, ut omnes qui eius discipulos occident, arbitrentur sese cultum præstare Deo⁴. Vos illos, nullius facinoris convictos, sed Christi nomen in mediis etiam flammis invocantes occiditis, et putatis vos cultum præstare Deo ?

Prædixit Paulus omnes qui in Christo Iesu pie vivere volent, persecutionem esse passuros⁵. Vos persecutionem ob Christi nomen non patimini, nec item vestri Scribæ et Pharisæi, ex quo perspicuum sit, vos non vivere pie in Christo Iesu. At ii quos vos occiditis, persecutionem ob Christi nomen patiuntur, in quo certe propius ad Christum accedunt quam vos. Si enim vellent illi vivere more vestro, nemo eos, non magis quam vos, persequeretur.

Postremo si ii quos vos ob religionem interficitis, Christiani non sunt, aut certe eorum nonnulli, quæso vos ubinam sunt Christiani ? Cum enim omnes qui in Christo Iesu pie vivere volent, persecutionem passuri sint, et vos non patiamini, si illi qui [128] vobis patiuntur, Christiani non sunt, nulli sunt, præsertim cum dixerit Iesus, non licere ullum prophetam perire extra Ierosolymam, et vos sitis Ierosolyma, hoc est ecclesia, vestro quidem iudicio. Cavete igitur ne sitis illa Ierosolyma quæ occidit prophetas⁶. Nam nullæ gentes (exceptis vobis qui estis nominis Christiani) occidunt homines ob Christi nomen.

1 pars quæ *Editio 1613* : pars bona est quæ

2 Beelzebuli *Editio 1613* : Beelzebub

3 Voir Jn 10, 20-21

4 Jn 16, 2

5 2 Tm 3, 12

6 prophetas *Editio 1613* : Prophetas

Refelluntur Scribæ et Pharisæi, qui legem Mosis perperam, citent de occidendis hæreticis – Cap. XXI

Scio multa a scribis¹ et Pharisæi contra² hæc dici solere. Dicunt eos, quos ipsi accusant, esse hæreticos : quid ni dicant ? Et Iudæi dicebant, Christum esse blasphemum, et Samaritanum, et dæmoniacum, et impostorem. Quicunque enim alios ob religionem persequuntur, eos infami aliquo nomine denigrant, quoniam angelus Satanæ transformat se in angelum lucis, suisque tenebris angelo lucis obstruit, ut bonum malum, et malum bonum esse videatur. Sed fingat- [129] mus esse hæreticos, ne sic quidem sunt occidendi. Adducunt illi quidem multa ex lege, inepte, et nihil ad rem pertinentia, ex quibus unum est quod maxime decipit homines, ideoque a nobis mox refelletur, si prius hoc in universum dixerimus, eos iniuste facere, qui Christianos secundum legem Mosis vivere voluit. Hac enim ratione nos oportet circumcidi (qui primus in legem Mosis ingressus est) et toti legi obedire, reiecto Christo, qui nos a iugo legis liberavit. Nunc illi reliquis tot legibus et institutis omissis, unam legem quasi de occidendis hæreticis citant, et eam falso. Non enim de hæreticis, sed de falsis prophetis scripta est. Ea autem in quinto libro Mosis sic habet. *Si quis apud vos aut vates, aut somniator extiterit, qui vobis signum aliquod aut prodigium edat, idque signum aut prodigium vobis ab illo prædictum evenerit, et tamen idem vos cohortetur ad deos alienos, vobisque ignotos, sequendos colendosque, nolitate illius aut vatis orationi, aut somniatoris obtemperare somnio³, sed illum occiditote.* Hæc illi citant ex Mose ad occidendos hæreticos, in quo inepte faciunt. Nam qui pro hæreticis ab illis habentur, non [130] sunt vates, neque somniatores, neque signa aut prodigia edunt quæ eveniant, neque ad peregrinorum deorum⁴ cultum homines adhortantur, itaque in eos lex illa nulla ex parte quadrat, ex quo perspicuum fit quam nihil rationis habeant isti accusatores, qui tam aliena lege niti velint : et quam calumniosi sint et maliciosi, qui legem ita torqueant. Quid quod quo vos facilius decipiant, non totam legem, sed legis partem citant ? Sic enim scriptum est in eodem illo capite. *Si audiveritis in aliquo vestrorum oppidorum, quæ vobis Iova Deus vester ad habitandum dederit, extare aliquos ex vobis perditos homines, qui suos incitent cives ad colendum deos⁵ alienos, et vobis ignotos,*

1 scribis *Editio 1613* : Scribis

2 contra *Editio 1613* : contra

3 Dt 13, 1-4

4 deorum *Editio 1613* : Deorum

5 deos *Editio 1613* : Deos

inquirite, perscrutamini sciscitamini diligenter. Quod si rem veram atque certam, et scelus apud vos commissum deprehenderitis, illius oppidi habitatores ferro trucidatote, et oppidum et oppidana omnia, ipsaque adeo pecora, ferro corrumpitote omnique praeda in medium eius forum congesta, oppidum una cum universa eius praeda Iovæ deo¹ vestro prorsum conburitote, idque sempiternum, nec unquam instaurandum rudus esto, neque quicquam de illa devota praeda manibus vestris inhæreto². Hæc [131] Moses, quæ si sequenda sunt, vos peccatis, qui hæreticorum (quos illa lege comprehendi volunt vestri sapientes) oppida cum habitatoribus et pecoribus non comburatis et solo coæquetis. peccatis et in eo, quod praeda illa vestris manibus adhæret. Scimus enim quænam soleant esse bonorum hæreticorum confiscationes. scimus et in illa ipsa urbe, ex qua prodierunt duo de occidendis seu puniendis hæreticis libri³, non esse combustam prædam cum eo quem hac lege (ut ipsi volunt) combussere vivum. Neque enim catena aurea, quam ille collo suspensam habuerat, neque coronati cremati sunt, sed tractantium manibus hæserunt. O Diabole, nimis interdum aperta est avaritia malitiaque tua. detegit te etiam nondum clarissima lux : quid faciet ea quæ etit septupla solis ?

Iam videtis opinor, o homines nisi oculos vestros data opera clauditis, quæ sint illorum calumniæ. Ex hoc igitur exemplo coniciite de cæteris. [132]

Peroratio, in qua duo Christi de persecutoribus oracula explicantur. –
Cap. XXII

Superest ut vobis non Mosem (quem illi non magis intelligunt, quam iustitia præditi sunt) sed Christum ipsum, quem pater audiri iubet, proponam, deinde scribendi finem faciam. Sic igitur loquitur Christus de servo cui herus provinciam mandavit cibis suppeditandi familiæ suo tempore. *Beatus est servus ille, inquit, quem veniens herus invenerit officio fungentem⁴* (hoc est familiam suo tempore pascentem.) *At si malus servus cum animo suo sic cogitare cæperit : Meus herus venire diu differt : itaque cæperit*

1 deo Editio 1613 : Deo

2 Dt 13, 12-17

3 Castellion se réfère probablement à J. Calvin, *Defensio orthodoxæ fidei de sacra trinitate, contra prodigiosos errores Michælis Serveti Hispani*, Geneva, Oliva Roberti Stephani, 1554; et à T. Bèze, *De hæreticis a civili magistratu puniendis libellus, adversus Martini Bellii farraginem et novorum Academicorum sectam*, Geneva, Oliva, Roberti Stephani, 1554.

4 Mt 24, 46

*pulsare conservos suos, et comedere et bibere cum ebriosis, veniet herus illius servi inexpectato ei die, incognitaque hora, eumque medium dissecabit, et hypocritarum numero habebit*¹. Hic videtis duos servos : unum fidelem, qui pascit familiam. ii sunt boni concionatores et ministri, qui populum rite docent, non occidunt. Alter est malus : ii sunt calumniatores et persecutores, de quibus loquimur : Nam sibi mandatam [133] esse provinciam pascendi verbo dei² homines, ipsimet profitentur, et ita profitentur, ut alios omnes ab eo munere velint exclusos. Quod autem verberent conservos suos, quis non videt, cum persequantur et occidant eos qui idem Christi nomen cum ipsis profitentur, iidemque scribant et doceant non esse persequendos Iudæos et Turcas, aut cæteras nationes Christum non profitentes ? in quo evidentur ostendunt, se nolle verberare alienos, sed suos conservos, ut intelligatur hos ipsos esse, de quibus Christus loquitur. Quod item cum ebriosis epulentur, hoc est, rebus secundis ebrii sint, atque huius ebrietatis impulsu hæc faciant, ex eo patet, quod cum essent adhuc pauperes et afflicti, docuerunt non esse persequendum. Iidem potentes facti, faciunt quod ante vituperarunt. A fructibus eorum agnoscetis eos.

Idem Christus iis qui zizania volebant extirpare, sic respondet. *Nolite facere, ne forte una cum zizaniis extirpetis bonas herbas*³. Iam zizania esse impios igni æterno comburendos, apparet ibidem ex interpretatione ipsius Christi. Et hæreticos igni æterno comburendos, [134] docent ii qui eos volunt occidi. dicunt enim eos damnari in sempiternum. quale nihil dicunt de latronibus, cæterisque facinorosis. quin⁴ de eis etiam in ipso patibulo aut rota bonam spem habent. at de hæreticis nullam. in quo profitentur (si quis eos rite intelligat) se velle extirpare zizania contra præceptum Domini. Iam vero quid hactenus acciderit, videmus, semper enim sub hæreticorum et impiorum nomine fuerunt occisi Christiani, cur non metuimus ne idem fiat nostro tempore ? an soli nos ec omnibus seculis ita sapimus, ut possimus sine frumenti periculo extirpare zizania ? Nolite fallere vos. Sicut hodierna dies iudicat de hesterna : sic et crastina iudicabit de hodierna. hoc est sicut nos damnamus maiores nostros, qui occiderunt sanctos, quorum nos sepulchra ornamus. sic nos damnabunt minores nostri et ipsa veritas, qui sanctos occidamus. Nihil est enim tam tectum quod non sit detegendum. quæ⁵ veritas superio-

1 Mt 24, 48-51

2 dei *Editio 1613* : Dei

3 Mt 13, 29

4 quin *Editio 1613* : Quin

5 quæ *Editio 1613* : Quæ

rum iniustitiam detexit, etiamnum regnante iniustitia, eadem nostram multo magis deteget, cum regnabit (sicuti promisit Deus) iustitia. O Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis pi- [135] os, quoties voluit cœlestis illa veritas congregare natos tuos, sicuti gallina pullos¹ : et tu noluisti? Utinam, utinam saltem pauci aliqui existant qui hæc videant, tum ego non frustra laboravero. Nec enim parva res est vel unum hominem ab errore revocasse. Tu Deus, cuius muneris est quicquid boni est, aperi oculos cæcis, et errantes in viam revoca. Amen,

Scribebantur hæc anno 1557, mense Aprili.

1 Mt 23, 37